



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1721

urn:nbn:de:gbv:46:1-7339

BIBLIOTHECA

Historico - Philologico-

THEOLOGICA.

Classis Quartae

FASCICULUS TERTIUS.



B R E M Æ,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII.

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CCXXL

VIRO

*Magnifico, venerabili &
celeberrimo*

**JOHANNIFA.
BRICIO,**

**Theologiae in incluta
Academia Juliâ Docto-
ri ac Professori emerito,**

*Consiliario ecclesiastico, & Inspecto-
ri Scholarum per ducatum Guel-
ferbyranum generali,*

**ABBATI REGIAE LUTERAE,
societatis scientiarum regiae Be-
rolinensis membro**

Dignissimo gravissimoque,

**THEOLOGO aetate non magis
quam eruditionis, humanitatis, mo-
derationis, plurimorumque in omnem
Rem literariam meritorum laude
maxime conspicuo**

Primum hunc supra vicesimum
hujus

BIBLIOTHECAE
FASCICULUM,

Suae erga eum pietatis ac
obsequii monumentum erigunt,
Symbolas ad hoc ornandum institu-
tum exposcunt, vegetamque & lon-
gam, omnique rerum optanda-
rum affluentia cumu-
latam,

Neque illis incommodis, quae il-
lam comitari vulgo solent, turbatam

SENECTUTEM

& sincere & impense apprecantur

EDITORES.

Leguntur hoc fasciculo

- I. Joh. Jac. HOTTINGERI Memoria Synodi *Dordracenae*, pag. 417.
- II. Gerhardi OUTHOVII ad locum Jacobi V: 16. observatio p. 457.
- III. C. A. HEUMANNI de THEOPHILO Lucae dissertatio pag. 483.
- IV. Theodori HASAEI ad praecedentem de THEOPHILO diff. sicilimentum p. 506.
- V. Stephani VITI vita Joh. JEZLERI ejusque libri de *diuturnitate belli eucharistici* recensio pag. 532.
- VI. Joh. Georgii SCHELHORNII de *לללל* *ד'ד* ad elucidationem loci Job. XL: 31. observatio pag. 572.
- VII. Ruardi ANDALA exegetis illustrium quorundam locorum & Apocalypseos L. R. p. 588.
- VIII. Joh. BUXTORFII P. ad Matth. MARTINIUM epistola inedita p. 598.



I.

Memoria Secularis Maxi-
mè Venerabilis & sacræ
**SYNODI DORDRECH-
TANÆ:**

Pietate exigente, Dignitate prome-
rente, Majorum veneratione
urgente

III. Cal. Febr. cIcccxx.

Solenni Oratione in publica panegyri
Tiguri celebrata

à

Ioh. Jacobo **HOTTINGERO.** (a)

(Tit.)

R Eddidit nobis Sol actus in orbem die ab
hinc tertio feriam, à piis Majoribus
CAROLI, Hunnorum, Saraceno-
rum, Saxonum Domitoris: Roma-
norum Imperatoris Pii, Felicis, Au-
Claff. IV. Fasc. III. Dd gusti,

(a) Vide de insigni hoc Viro hujus Bibl. Cl. II. fasc. III
pag. 562.

gusti, multisque aliis præclaris nominibus *Magni*: omnium, qui sive in Imperio Romano, sive in Franciæ Regno Caroli nomen gesserunt, non solum ordine *Primi*, sed rebusto- ga sagoque in Ecclesia & Republica gestis, facile Principis & Maximi; Ecclesiæ Tigurinae Patroni munificentissimi, memoriæ consecratam: sequioribus quidem temporibus haud unâ superstitione fœdatam, masculâ autem Avorum pietate, à duobus hinc seculis, integritati Christianæ restitutam: ingenti illo beneficio, cujus memoriam, sub auspiciis Dei, Magnificentissimi Magistratûs nostri auctoritate, omnibus bonis domi forisque applaudentibus, grati lætique, ab hinc anno, concelebravimus.

Atque ista in Defunctum pietas adhuc superstes, hoc me temporis articulo in publicum hunc pertraxit locum. Cum enim Collegii fere, cui bellicosissimus & victoriosissimus Imperator, idemque summus literarum Meccenas, nervos, vitam, nomen dedit, membris, consuetudine ceu lege aliquâ receptum sit, feriâ hâc recurrente, non quidem arma virumque hunc importunè canere, de argumento tamen aliquo tempore & loco idoneo publicè differere: Instituto huic, mihi eorum postremo, obtemperandum hodie fuit. Eo etiam nomine, quod Venerabilis, de Ecclesia nostra ejusque institutis præclarissime merentis, ANTISTITIS auctoritas, in tot viro-

visa, quia Synodus nuperrimè ætatem secularem attigit, ita statuebam æquitatis esse, ne nobilissimi beneficii decoctores, & ingrati helluones videremur. Ratus denique sum, aliquod pietatis officium fore, sanctum cœtum à petulanti quorundam, ætate nostrâ, si unquam alia fuit, in magnorum virorum cineres injuria, eum despicientium & despuentium, insectatione & insultatione asserere.

Hoc dum ago, Vestram cujusque Ordinis & dignitatis AUDITORES, etiam cùm expectatione vestrâ inferiora dixero, facilitatem imploro; qui ultrò nôstis, nihil in dicendo majus esse, quam ut faveat Oratori is qui audit. Mihi curæ cordique erit, ut in magnis, quæ Deus Patrum memoriâ præstitit ebuccinandis, & timoris Dei, & veritatis rationem me omnibus aliis ante habuisse, illustri Auditorio comprobem. Has lineas, ne unquam ab oculis removeam, ne à via ista regia uspiam deflectam, *Jehovah!* Ter sancte! Ter optime Maxime! Candorem, ingenium, industriam, linguam suffice & dirige, quò de Magnalibus Tuis magna & Te digna dicamus & sentiamus!

Ecclesiæ, quæ *Reformata* nuncupantur, cùm reliquis sordibus templo Dei ejectis, etiam Pelagii & Semipelagianorum errores, de Prædestinatione & gratiâ illic grassantes, communi sententiâ valere jusserunt. Hujus rei tot nobis testes suppetunt, quot earum Confessio.

fessiones manibus versamus. (a) Nam ut Au-
 gustino (b) ejusque ævi Ecclesiæ, ita nostris,
ad certam regulam loqui fas est, ne verborum
licentia etiam de rebus quæ his significantur, gignat
opinionem. Verùm Erasmus ob literas restitu-
 tas, non male! ob errores Semipelagianos
 sparfos pessimè de Ecclesia meritis: Seba-
 stianus Castalio, Remonstrantium prodro-
 mus, alii ab Antichristianismi fermento mi-
 nus perpurgati, ad Ecclesiæ tamen Ministe-
 rium à Belgis admissi, nonnullis infauti So-
 cini ex Poloniâ emissariis ignem subdentibus,
 hanc scabiem nonnullis Belgis denuò affricâ-
 runt, eam adeò depereuntibus, ut, quò
 ipsam Confessionem Belgicam tot Martyrum
 sanguine obsignatam incestarent, eam recen-
 seri voluerint, ejusque rei spem ante seculi
 sexti & decimi exitum obtinuerint. Inde fi-
 cus (c) hæc fatua, Pelagianismum, & Semi-
 pelagianismum dico, *toties præcisa, toties era-*
dicata, toties combusta, incinerata & usque ad ni-
hilum conculcata, ab Ecclesia Dei semper re-
 pressa, semper tamen, se ei ingerens & in-
 vitæ obtrudens, *latè & densè,* ne Reformatâ
 quidem exceptâ, *non desinit germinare, & sua*
vitulamina vitiosa, quanto subtiliùs, tantò pericu-
losiùs propagare.

Copias toties profligatas, Serpens antiquus

D d 3

im-

(a) Thyf. præf. in Matth. Eborac. explic. p. 2. (b) Au-
 gust. C. D. X. 23. (c) Bradyvard. Caus. Dei præf.

importunissimè restauravit sub signis *Jacobi Hermanni*, qui *Arminius* dici maluit, Vetera-quinatis Batavi, cui nihil arridebat, nisi quod novitatis specie se commendaret. Huic *veritas*, etiam *Theologica*, in puteo profundo adhuc demersa videbatur. Unde suspirabat, *utinam Deus veritatis illam aliquando ad animi mei tranquillitatem invenire concedat!* (d) Hic doctrinas de Prædestinatione & Libero Arbitrio ab Ecclesia antiquiori, in Pelagio, Massilianis, Syracusanis, Fausto, adversariis Godeschalci; à Reformatâ in Papistis, Erasmo, Castalione, Bolseco, Serveto, Hubero, damnatas, à Socinis interpolatas, ab ovo examinandas censuit, sævissimæ tempestatis Synodo demum Dordracenâ temperatæ Aeolus.

Omnem hanc rem tribus ætatibus includere lubet. *Prima* monstri hujus conceptionem & formationem, *Alterâ* nativitatem & firmationem: *Tertiâ* ejus ex Ecclesia proscriptionem exhibebit. *Prima* ferè per decennium, ante Belgarum cum Hispano inducias proximum decurrit. *Alterâ*, decennium completitur, quo Arminianorum primi pili novæ Reipublicæ habenas tractârunt. *Tertiâ*, Deus Ecclesiam Synodi Dordracenæ curâ & fide, à peste hac liberavit.

Primâ ætate Arminius ævi sui Sinon, variam personam gessit, *Studiosi, Pastoris, Professoris*. Amstelodamensium enim liberalitate ad

Aca.

(d) Epist. ad Utenbog. a. 1597.

Academias dimissus, *Genevæ Bezâ, Basileæ Gry-
næo* Præceptoribus usus est. Excursione in
Italiam factâ, Præceptores ab illorum genio
& ingenio diversissimos nactus videtur. Patavii
certè Zabarellam audivit: Romæ Bellarminum
compellasse scribitur. Eorum quæ à priori-
bus audiverat, non minùs immemor, quam
si Spongiâ aliquâ deleta fuissent, aut aquam
ex fluvio Lethe hausisset.

Anno ætatis vicesimo octavo, ad Ecclesiæ
Amstelodamensis Pastorum evocatus, tanto ho-
minum favore intumuit tumori audaciam ad-
didit; publicè privatimque non tantùm Cal-
vini, Martyris, aliòrum, cum quibus ipse
collatus quintæ classis videri possit, nomina
rodere: (dd) sed eorum, Reformatarumque
Ecclesiarum doctrinam de prædestinatione,
tanquam Stoicam & Manichaicam, quâ ho-
minis libertas stranguletur, omne pietatis &
bonorum operum studium extinguatur, blas-
phemare, eam execrabilem redditurus: Sub-
inde Pelagianismum redolentia miscuit. Ad-
orandam hic Vobis Dei pro Ecclesia sua, ejusq;
peculio veritate, vigilantis providentiam siste-
rem, dum in Belgio à degeneribus Ecclesiæ
Reformatæ membris, gloriosa illa & salutaris
Dei gratia impiè incestatur, in Gallia & aliis

D d 4

Bel-

(dd) Quam mature antequam res in nervum erumpe-
ret, errorum suorum semina jam foverit ex illa epi-
stola colligere est, quam primùm hujus Bibl. Cl. III.
fasc. II. p. 384. vulgavimus. T. d. H.

Belgii provinciis Bajum , (e) Jansenium , aliosque celebres Ecclesiæ Romanæ Doctores eam etiam in pertinaci exilio defensantes , excitantis : nisi ad alia properandum esset.

Arminio regiam viam fastidiente , Presbyterium Amstelodamense causæ Dei non defuit. Sed Arminius frænum mordere : ex utroque Ordine viros sibi jungere quorum artibus & viribus se sustineret. Ex *Ecclesiastico* , Joh. Utenbogardum , Pastorem Hagiensem , facundum magis quàm doctum. Ex *Politico* , Johannem ab Oldenbarneveld , Hollandiæ Advocatum , aliosque , qui *assensu auxilioque suo fecerunt* , uti *multæ opiniones novæ , formulisque inita Concordiæ repugnantes* , ac *nunquam antea in Ecclesia Reformata approbatæ* , excussæve , *adversus solennem sacrorum ritum in Ecclesiis Reipublicæ Belgicæ inveherentur* , atque illic defendèrentur. (f)

In horum clientelam receptus Arminius , post carectâ latere pertæsus , cum præstantissimis Germaniæ , Angliæ , Belgii , Theologis , cum aliis scripto , cum Francisco Junio ore , in arenam descendit : Junio autem piè defuncto , anno superioris sæc. tertio , (g) Cathedræ Leidensî Theologicæ obtruditur. Quia prudentiores ipsaque Amstelodamensis Ecclesia existimabant , *ingenium tantoperè luxurians*

(e) Pallavic. Hist. Trid. XV. 7:7. XXI. 7. (f) Illustr. ordd. sentent. adv. Hogerbec. pag. 26. (g) d. 28. Aug.

rians ac novaturiens, evidentiori cum periculo in Academia quàm in Ecclesia aliqua particulari esse versatarum, (b) inter Arminium & futurum ejus Collegam Franciscum Gomarum, auctoritate publica de præcipuis Dôctrinæ capitibus, collatio instituitur, in qua Pelagianorum dogmata ab Arminio damnata, Augustino & Patribus cum eo facientibus albus adjectus calculus: fide datâ, se, si quas singulares haberet opiniones, non disseminaturum. (i) Sed fide Punicâ. Pectus monstris gravidum aliquandiu dissimulare: mox tamen per cuniculos doctrinam in Belgio receptam adoriri.

Ne malum invalesceret, Synodi & Presbyteria, primùm cum Arminio; eo dissensum fundamentalem esse inficiante; cum Academia Leydensis Curatoribus agitur: qui spem Synodi Nationalis fecerunt. Quod Pastoribus placuit, confisis antidotum quovis tempore, quibusvis etiam aliis erroribus; in primis gratiæ hostibus, Sec. V. in Oriente & Africâ, Pelagio: Seculo IX. in Gallia, Godeschalci adversariis oppositum, Arminii insultibus in Belgio compescendis opportunum fore.

At Novatores Synodum, ut noctua lucem perosi, (k) novis artibus se tuentur. *Primum*

D d 5

mum

(b) Act. Dordr. Ordd. jussu & auctorit. publicat. præf. p. 2. (i) Præf. cit. (k) Similes lucifugæ & tergi-ver-

mum ad quod se converterent, artificium fuit, quod nescio quæ Belgii provincia, non alia lege in Synodum consentire voluit, quam ut à Synodo illa, non sola, ut illi pronuper urgebant, Confessio; sed Catechesis etiam, ut Novatores se deinceps explicabant in Remonstrantia, recenserentur, resumerentur, & ad examen revocarentur; Nec enim liquere, eas initio Reformationis, eâ quâ decuit religione expensas, & esse fortassis in eis aliquid, quod emendatione opus habeat. (1)

ALTERUM Arminianorum artificium fuere privati paucorum Theologorum confessus. Prior inter Gomarum & Arminium solos: præsentibus Supremæ Curiaæ Consiliariis, nonnullis etiam Pastoribus. Delegati Ecclesiarum ostendebant causam hanc Ecclesiasticam à viris Ecclesiasticis harum rerum peritis, & ab Ecclesiis legitimè cum judicandi potestate Delegatis cognoscendam ac dijudicandam esse. Sed furdus fabulam. Gomarus in hoc congressu ex Arminii Autographo evicit, eum adversus Verbum Dei & Con-

versatores erant Semipelagiani. Hinc Prosper Ep. ad Rufin. eis exprobrat. Si rectè reprehendimur, cur non constanter (Palam) arguimur? si arguendi non sumus, cur occulta obtreptione arguimur? Sed quis nescit cur ista privatim de stomacho garriant, & publicè de Consilio (Concilium intelligit, cujus cognitionem Semi-Pelagiani declinabant) conticescant?

(1) Vid. Bertii script. advers. p. 4. 5.

Confessionem Belgicam, Christi Justitiâ præteritâ, ipsam hominis fidem in justitiam quâ coram Deo justificamur non convertere, sed pervertere: Confiliariosq; illos in Ordinum confessu sententiarum discrimen extenuantes monuit, tanti momenti discrepantiam esse, ut ipse cum sententiâ Arminii coram Dei judicio comparere non auderet. Posteriori cum Gomaro collatione, Arminius callidus dissimulator, & in nostris doctrinis cavillandis Fabio loquacior, nullâ ratione adduci potuit, ut causæ suæ arcem invaderet. Eo valetudinem sinistram causante, cœtus dimissus, humore crystallino ex utroque oculo emanante, hætenus mentis nunc etiam corporis lumine cassus & captus; di 19. Oct. A. supr. sec. IX. animam exhalavit; rationem hominibus, Dei nomine, & ex legum præscripto eam deposcentibus denegatam, Deo reddere coactus.

Scire avetis, unde Arminio ejusque pullis, tanti sub ista tempora animi! Agitatae tunc induciæ cum Rege Hispaniarum & Archiducibus Brabantiae, mense Aprili anni hujus noni transactæ: demùm sequenti decimo, vim habituræ. His Arminiani gnaviter in rem suam, parum abest ut dicam, tanquam peculio suo, sed præsentissimo Ecclesiæ & Reipublicæ damno, non tam usi quàm abusi. Nec defuit illo tempore, cui Rex Hispaniarum nulla re magis inductus, ad inducias paciscendas assensum præbuisse visus, quam facta illi indubitata certissimæque

maque spe, antequam induciarum tempus expiret, universum Belgium intestinis odiis mutuisque cadibus dilaniatum levi negotio in potestatem ejus redatum iri. (m) Quod augurium utinam homines ad res in Ecclesia & Republica miscendas nati & facti, ante, sub & post Synodum celebratam sceleribus suis non confirmassent!

Quid ergo, inquires, quid Arminio his induciis ferebatur vel metebatur? Hollandiæ Advocatus, Numen Arminii tutelare, alienis Utenbogardi nervis, ligni alicujus ad instar in omnes partes mobilis, in induciis procurandis haud ignavus, si unquam, ab eo certè, (ut res ipsa loquitur) tempore, sibi summam Reipublicæ contra jus fasque vindicavit, & Majestatem atque supremum Dominatum dictis, ductu, imperio, auspicio suo usurpavit. (n)

Hoc Patrono freti Pastores qui in Arminii castra concesserunt, magno numero in Ecclesiæ fraudem, clandestinam confœderationem ineunt. (o) In Ultrajectina etiam Synodo novam Regiminis Ecclesiastici formam cudunt. Hoc præsidio fulti, & Conradum Vorstium Pelagianismi, Socinismi, & quarum non hæresium? nidum, in Arminii locum Cathedræ Leydensi intrudunt: & nonnulli eorum, *Remonstrantiâ* Hollandiæ & Westfrisiæ

(m) Bodeck. Epl. in Hist. Dordr. Breitingeri Msc.
 (n) Sentent. adv. Barnev pag. 2. & 12. (o) Cælestin I. p. tr. ad Constantinop. *Majore ligantur glutino foedera vitiorum.*

ſuæ Ordines conveniunt, (p) in qua, infauf-
 ta Lucina, *quingarticularius* ille foetus pri-
 mum in conſpectum venit: & tum celebri
Collatione Hagienſi, in qua hinc *Contra remon-
 ſtrantia* exhibita, illinc Simon Episcopius, ge-
 nuinus Arminii & Vorſtii diſcipulus in Sce-
 nam primum prodiit, tum *Delfenſi* congreſſu,
 pertinacem Synodo obicem poſuere, ſuæ to-
 lerantiæ (q) unice velificati; Tolerantiæ in-
 quam, qua, dum ipſis quicquid libuit, licuit,
 diſſidentem neminem, ne Magiſtratum qui-
 dem, nec tolerabant, nec toleraturi erant.
 Tantæ molis erat Synodum tam neceſſariam
 condere.

Ea tamen nunquam propior fuit, quam
 cum Remonſtrantes eam longiſſime removif-
 ſe ſibi videbantur. Tunc enim veritatis Pa-
 troni animadverterunt, neceſſitatem ſibi im-
 poſitam, ſuas viciffim vires exerendi & exer-
 cendi: Deo conatus eorum ita ſecundante,
 ut bona tandem cauſa triumphaverit. Res
 maximas paucis expediam. Remonſtrantes
 arte & Marte, ſatagente admodum *Hugone
 Grotio*, ſuorum quibusdam perſuadent ut Or-
 di-

(p) M. Jun. Act. dordr. ordd. p. 15. M. Jul. in
 ſcriptis advers. Bert.

(q) Ita Pelagiani olim ad ſemipelagianos, adverſarios
 ſuos vehementiſſimos, ap. Proſper. c. Inſtrat. Nos-
 ne ſumus toto mundo quorum undique nobis ſit ſuſpe-
 cta fides? quos non tolerare queatis, ſi noſtra à veſtro vel
Syllaba diſſonet ore &c.

dinum nomine decretum conderent, de Remonstrantibus eorumque doctrina tolerandis: quod ab Ordinibus nondum confirmatum Ecclesiis mittunt, ejusque observationem injungunt. Ubi rerum potiuntur, quosvis gratiæ defensores, imprimis ejus præcones, exauctorant, carceribus exiliisque multant, suggestum sibi ubique rapiunt, tribunitiis eum sermonibus implent, blasphemis convitiis suis segreges coetus instituendi necessitatem, optimis quibusvis Auditorum suorum imponunt. Quod in ipsa Comitibus Hagâ, ab ipsis Ordinibus aliisque Collegiis, ipsoque Illustrissimo Principe Arausicano MAURITIO, & generosissimo Comite GUILIELMO LUDOVICO factum; majori cum Remonstrantium cordolio, quàm exprimere queam.

Jam ergo Remonstrantes eò Belgii res deduxerant, ut non tantum *Ecclesia in Ecclesia, sed inter Ordines essent alii Ordines, aliud in Regimine regimen, Provinciæ ad sui tutelam invalide fierent, ac ferme in hanc necessitatem venirent, ut ad dedecorosam aliquam partionem descendere, aut etiam funditus interire cogerebantur.* (r) Hæc omnia à Potentissimo Britonum Rege, ORDINIBUS ob oculos posita, adhibito stimulo, (s) ut *veram veteremque omnium Ecclesiarum Reformatarum consensu confirmatam, quam professi semper essent doctrinam, extirpatis erroribus, per Synodum*

(r) Sent. Barney. p. 12. (s) Act. d'ordr. l. part. I. p. 329.

dum Nationalem, quo medio Christiani ab omni aeo in ejusmodi malis usi essent, pristinae sinceritati restituerent. Ab his monitis, adhortationibus, obtestationibus pius REX non pius destitit, quàm locum reperissent. Eandem incudem Serenissimus MAURITIUS cum illustrissimo Nassovia Comite tundere non cessavit. Major Provinciarum pars, ORDINES inquam Zelandiæ, Geldriæ, Frisiæ, Groningæ & Omlandiæ, cum primariis potentissimisque Hollandiæ Westfrisiæque Civitatibus, ordinarium hoc a Spiritu S. propositum, & à Christianis semper usurpatum adminiculum tandem & ipsi ulceri hæctenus incurabili admoveere constituunt: & Hollandiæ & Westfrisiæ ORDINIBUS commendant: At nec dum persuadent. Non adeo ipsorum horum ORDINUM cunctatione, quã intemperie nonnullorum, qui suo inter eos caractere abusi, in gratiam Novatorum, quò perderent Ecclesiam, nec Patriæ parcituri erant: qui *Theologis & Doctoribus male sanis* Ecclesiæ datis, ea corrupta perhibere ausi, omnes Synodos supremae Ordinum Jurisdictioni aliquid præjudicati afferre: in causa Synodi nullum esse locum suffragiorum multitudini: fore id adversus Majestatem, libertatem & jura Hollandiæ, si ejus provinciæ Ordinibus, aut majori eorum parti, sine plena assensione Synodus obtrudatur, Nationalis: jus hoc Majestatis, omnibus modis, etiam armis tutandum: Qui cives insurgere in suos Magistratus edocuerunt: Qui

Qui Magistratus concitârunt ut *praesidia sibi armatorum militum, praestolantes* (t) nuncupabantur, *legant*, jusjurandum non foederatis in commune, sed ipsis solis praestituros, spretis aliorum jussibus : adversus quoslibet, etiam adversus potentissimos Ordines Generales, contraque Illustrissimum Principem & Ducem Generalem, non secus atque adversus Regem Hispaniæ, ejusque Praefectos arma, quibus nimirum Synodi conclusiones retorquerentur, sumturos. (u) Hujusmodi coitio in ipsius Utenbogardi ædibus aliquando (x) habita. Sed *Vos* citius audiendo, me loquendo delassabo, quam has Tolerantiæ Architectorum machinas, agnoscentibus ipsis, *violenta, extrema, tristia remedia* (y) addo tartarea, (à quo enim nisi illo qui homicida & mendax est ab initio, suggesta fuerint?) enarravero.

Dum isti Tyria maria concitant, Mauritiï fortitudine opportunè compescenda, (z) Theologi ad Synodum Nationalem jam integros XIV. annos à Remonstrantibus sufflammatam, ab Illustrissimis *Ordinibus* invitantur : Ecclesiis Synodi Provinciales decennio & amplius

(t) Læt. Hist. Univ. p. 510. (u) Sentent. in Barnev. p. 1. 3. 5. 11. in Ledenb. p. 14. ff. Hogenb. p. 25. Horn. Hist. Eccl. per 3. art. 2: 16. sqq. cum not. Leidekk. (x) Sentent. in Barnev. p. 8. Ledenb. p. 20. (y) In Barnev. p. 8. Ledenb. p. 19. (?) Læt. Hist. cit. p. 505. 510.

plius inhibitæ (a) restituuntur : Synodi au-
spiciis, *Calendæ Maje anni, decimi Octavi*; ob
nova impedimenta, *Calendæ Novembres* assi-
gnantur. Ita Deus, ut frequenter alias, de-
sperantes tempore levavit timore.

Locus illustri Confessui destinatus, Urbs
Hollandiæ primaria & Metropolis, olim Dure-
ti forum, hodie *Dordrechtum* nuncupata. Ante
annos ab hinc trecentos quatuor concursu
fluminum, quæ eam a continenti abroserunt,
Brabantiæ enim cohærebat, in Insulam de-
ducta: (b) Viros optimos ad Ecclesiam tran-
quillandam undique convocatos ubique exci-
pere idonea, parata.

Medicam manum Ecclesiæ adhibere jussi,
certus Belgii Pastorum & Seniorum ab ipsis
Provincialibus Synodis deligendus numerus:
præter Professores Theologiæ celebriores.
Et quia Remonstrantes consensum cum exte-
ris Ecclesiis jactabant, Theologi ex M. Bri-
tannia, Gallia, Palatinatu, Brandeburgo,
Hassia, Helvetia, Wetteravia, Brema, Em-
da convocati. Gallorum præsentiam Eccle-
siæ Belgicæ admodum desiderabant, sed Re-
monstrantium animula, advocatus & conju-
rati, Ordinum nomen eimentiti, Christianif-
simo Regi Epistolâ auctores sunt, (c) *ne quen-*
Class. IV. Fasc. III. *Ee* *quana*

(a) Act. dordr. I. 84. Coccej. orat. Funebr. Maccov:
(b) Ven. Breitinger. Hist. Syn. dordr. Msc. (c)
Sentent. in Barney. p. 2, Hogerb. p. 26, in Grot. p.
36. sq.

quam ex sua ditione ad Synodum venire fineret, sed
 Hollandis potius adversus cœterorum Belgarum fa-
 ctiones opem ferret. Synodi enim Nationalis
 convocazione id agi, ut Supremis Magistratibus,
 Nobilibusque & spectatissimis Provinciarum Vasal-
 lis jura Collationis & Patronatus adimerentur.
 Quis non piaculare scelus abhorreat! Iidem
 tentaverunt & exquisiverunt Episcoporum Britan-
 norum judicia, ut si amplius obsisti non posset, sal-
 tem quidam eorum ad Synodum venirent, qui novi-
 tati opinionum non adversarentur. Abfuerunt
 etiam Brandenburgici, sed idoneas absentiae
 hujus rationes Serenissimus Elector ad Belgii
 Ordines perscripsit. (d)

Lite pendente, Remonstrantes Ecclesiarum
 Helveticarum, quidni & aliarum? senten-
 tiam scriptis ad eos literis (e) percontati sunt.
 Sed nostris consultius visum literas intempe-
 stivas silentio dissimulare. Invitati ad Syno-
 dum per literas, imo per Delegatum Ordinum
 Generalium. Mauritiæ etiam, Guilhelmi Lu-
 dovici, ipsiusque Electoris Palatini litteras.
 Synodi frequentatio res solliciti plena timoris
 eis visa: quippe qui ex ejusdem generis flu-
 ctibus Samuelis Huberi importunitate conci-
 tatis, vix enatassent. (f) Quia tamen Belgæ
 Helveticam Ecclesiam Matrem suam profite-
 bantur, jamque Doctrinam ab eis haustam
 per

(d) Act. dordr. l. 243. sq. (e) Ministr. Tigur. rati-
 ones, cur Theologi Dordracum mittendi videantur?
 §. 5. in Actis dordr. Msc. Ven. Breiting. (f) Loc.
 cit. §. 2. 3.

per eosdem defendendi avebant: quia etiam utraque dissentientium pars, ad Confessionem Helveticam, & Helveticorum Theologorum, Bullingeri imprimis scripta provocabant, Tiguro Joh. Jacobus Breitingerus, Antistes: ab aliis Ecclesiis alii (ff) missi.

Haud multis ante Synodum diebus, (g) pio Ordinum decreto, universum Belgium solenni jejunii & precum die, Deo supplex fuit, ut per Synodum, benedicente Deo, Ecclesiæ tranquillitas, Civibus Concordia restituatur. Dum Romanus Clerus alia omnia in votis habens, sacerrima Missarum sacra passim demurmurat: Sed Deus horum, ut olim Bileami, Magistri & Pontificis eorum, susque deque habuit, incantationes.

È singulis Belgii Provinciis duo denominati, qui ordinum Generalium instructi auctoritate, continuo Synodo adessent, omnes ejus actiones moderaturi, quorum Princeps fuit *Martinus Gregorii U. J. D. Ducatus Geldriæ ac Comitatus Zutphanix Consiliarius primarius.* His inclutus *Daniel Heinsius* à secretis fuit.

Synodus ipsa, enixissimâ ad Deum prece præviâ, Idibus Novembr. Anni XVIII. *primam*

E e 2

ma-

(ff) *Bernâ* D. Marcus Rüttimeierus S. Th. D. & Eccles. Bern. diacon. *Basileâ*: d. Sebastianus Beckius S. Th. D. & N. T. Profess. & d. Wolfgangus Mejerus S. Th. D. & Pastor ad S. Albanum. *Sebasusio*, D. Conr. Kochius, Decanus. (g) *A&.* dordr. I. 14. 199.

manum operi admovit. *Ultimam VII. Iduum Maji anni proximi, sessione quinquagesimâ quartâ supra centesimam imposuit. Synodi suffragiis potioribus ex Theologorum Ordine Præses electus est Joh. Bogermannus Leovardienſis Paſtor. Maturé non pauci, ſed tredecim; non gregarii milites, ſed primarii Remonſtrantium Theologorum, qui in Cauſa hac maxime exercitati habebantur, Simon Epiſcopius, Joh. Arnoldus Corvinus, & quotquot ad eorum aquilas ſtabant, à Synodo evocati, ſententiam ſuam Synodo liberè propoſituri, & quantum poſſent ac neceſſarium judicarent deſenſuri.*

Comparuere illi quidem, non ſine omni cunctatione tamen. Quoque ſtudio hætenus ne Synodus convocaretur, obſtrepebant; eadem contentione, ut Synodus vel diſturbaretur, vel operam luderet, ab ea citati ſatagunt.

Primum atque in Synodi conſpectum veniunt, quod Sèſſione XXII., octavo ante Idus Decembres contigit, *Collationem à Synodo ſecum inſtitui deſiderârunt. Sed noluit Synodus ſolennem aliquam tanquam inter partes, aut pædagogicam quandam inſtituere diſceptationem. Enim veró quis velitationum, exceptionum, inſtantiarum, erat futurus finis? Quis uſus? Synodo ab Illuſtriſſimis Ordinibus & Eccleſiis, judicum partes deſignatæ erant; ſimul inſinuatum, ne quidquam*

quant, gloria Dei, Ecclesie tranquillitate, & con-
 servatione puritatis doctrine antiquius haberet. Id
 quò fieret, & liquidò appareret, Sessione vige-
 simâ quintâ, Deo, Ordinibus, Ecclesie so-
 lenni juramento promissere, (b) se in exa-
 mine, judicio & decisione notissimorum
 quinque controverforum Articulorum, &
 difficultatum ex iisdem ortarum, *solum Dei*
verbum, non autem ulla humana scripta, pro certa
atque indubitata fidei regula adhibituros.

Illa tamen Collationis repulsa, veluti glo-
 bus aliquis igneus, Remonstrantium animos,
 quos iniquissimos attulere, veluti ex pulvere
 pyrio conflati fuissent, ita incendit, ut nullis
 Synodi rationibus, precibus, authoritate, æ-
 quitate temperari potuerint: Omni eorum
 operâ, curâ, vigiliâ eò collatâ & collocatâ,
 ut Synodum miscerent, domesticos cum ex-
 teris, hos inter se committerent: patien-
 tiam Patrum frangerent, sui dimissionem eis
 extorquerent, mundi fabulam redderent. Eis
 haud invitis rumor per urbem subinde spar-
 sus, Helvetios in Remonstrantium castra
 transiisse. Rabulas imitati, lites ex litibus se-
 rebant, protestationes protestationibus cumu-
 labant, quotidie conciones juvenili petulan-
 tiâ acerbis, & dira carmina adversus Vene-
 rabilem Synodi præsidem, Illustres Ordinum
 delegatos, perque eorum latus adversus
 ipsos delegantes, universamque Synodum

Et 3

pro-

(b) Act. dordr. I. 61.

pronuntiabant, haud semel in mendaciis deprehensi, eoque nomine uno Synodiore palam reprehensi. Eis Optatus, ut Donatistis, dixisset, *ad infigendum morsum honoribus alienis, dentes vestros in sagittas & arma vertistis: linguas in cote livoris aculistis in gladios.* Quin & Synodo leges dictarunt, *sine quibus nullam Synodum legitimam agnoscerent* (i) cum quibus tamen inde ab Apostolorum excessu, nullum Concilium celebrari potuit, nullum celebratum est, nullus Ecclesiae iudicio relinquitur locus, heteroclita capita, quò leges illae tendebant, sibi ipsis permittuntur, soli in Ecclesia regnant, soli Spiritu Dei pollent.

Hæc Cantilena Venerandæ Synodi aures, octo continuis Sessionibus pupugit; tricesimâ aliam occinunt, non minus insuavem de libertate se suamque sententiam defendendi ipsis denegata: quasi libertatem proscribant, qui ordinis, modestiæ, obsequii officia præscribunt: De *quinque articulis* interrogati, non ex solis prioribus, sive in Collatione Hagien- si dictis, sive adversus Walachros scriptis, nec ex Considerationibus in Catechesin & Confessionem Ordinibus exhibitis: sed ex præsentibus iudicari voluere: plurima enim se ab eo tempore didicisse. Nonnulla importunis Synodi flagitationibus extorta eis scripta: sed in iis vel ambiguitatibus ludunt, vel calumniis lædunt, vel Verbofite inani molesti

(i) Ib. p. 65. sqq.

lesti sunt: in omnibus suavem de Electione doctrinam vix extremis digitis attingunt, in nostra de Reprobatione doctrina exagitanda, ut in Dei gloriam injuria, pietati noxia, Zizaniis à maligno Spiritu sparsis, toti. Vitium hoc, corrigere jussi muscas imitantur, quæ vomitibus, quam sanis corporis partibus insidere malunt, de (k) Creatione maximæ partis hominum, ad interitum: necessitate lapsus: pugna voluntatis Dei revelatæ & arcanæ commentantur. Quin ad unum de Reprobatione Caput, omnem causam suam relegant; in hoc articulo præcipuum totius controversiæ Cardinem versari: de eo in omnibus articulis atque argumentis primo loco agendum: conscientiæ suæ religione, & iræ Dei metu, cur hunc ordinem omninò observari à Synodo velint, se detineri.

Quâ quidem re Synodo nihil molestius, nihil se indignius comminisci potuissent. Quidni molestum id Synodo fuerit? Minimè sanè, quòd, ut Vir doctus, (l) nuper admodum satis inofficiòse, nostros suæ de Reprobatione doctrinæ pudeat. Pudeat nos didicisse, profiteri, & tueri mordicùs, quod a Spiritu S. sibi dictatum S. Paulus Ecclesiæ tam perspicuè, tam constanter, tam studiosè tradidit? & Deo gloriosum esse tam solidè demonstrat? Sed quia Paulina doctrina, Paulino Spiritu, & modo, modeste, prudenter, sanctè, suo

Ee 4

lo-

(k) Ib. p. 119. 124. sqq. (l) in Hist. sec. XVII.

loco & ordine tradenda & tractanda est. Indignum verò Remonstrantibus fuit, propter Dei in reprobos iudicium, carni tam iniustum, intellectu adeò difficile, conscientias electorum turbare, Ecclesiam scrupulis & strepitu implere; hominum iusto Dei iudicio rectorum causam ita agere, ac si ad patrocinium eorum suscipiendum, ab eorum capite & duce, mercede conducti essent. Verum salva res est. *Liberum arbitrium Helena illa est sola, quam obtinere contendebant Remonstrantes: minus de Reprobatione, quam Libero arbitrio solliciti. (m)*

Felicem Ecclesiam Reformatam, cui tales Advocati obtigere! Obmutescite jam, quicumque hactenus maledico doctrinam ejus dente rosis! Hos conscientiae Medicos consulite, quoscuraque cura ejus mordet! Horum Magistrorum disciplinae Vos tradite, qui gloriae Dei illustrandae, saeculive morum emendandorum studio ardetis! Si nescitis, hoc est Christianum esse, hoc est Ecclesiae ex Antichristi regno ad Christum vocatae membrum esse, ruptis superstitionis & idololatriae laqueis, hominibus se jungere, ex omni genere Christum ore profitentium confluentibus: excepta doctrina de vera Dei gratia, cuivis nova prurienti, libertatem prophetandi, i. e. sentiendi, profitendi, docendi ore & scripto, impertiri, quicquid falsi figmento aliquo in-

(m) Breiting. Act. Jordr. Msc. f. 46.

erustare, quicquid veri eludere sciat. Abominations Babelis multas Templo Dei inferre : libertatis arbitrii tuendæ causa, liberationem gratiosam per sanguinem filii Dei, à maledictione Legis; &, per omnipotentem Spiritus S. in nobis operationem, à servitute peccati, evertere : in hominis manu esse, non minus stare, quam cadere; eorum doctrinam, qui hæc gratiæ in acceptis referunt, tanquam jugum excutiendam esse; hæc humanis viribus vendicantes pietatis esse Magistros ! Hoc nimirum est sapere ! Cum hæc & similia piæ M. Breitingeri menti obversarentur, ad *Senatum Tigurinorum Ecclesiasticum* Dordraco scripsit : *Modestiae sanè vel charitatis limites non transilire putantur ii, qui Arminianos & Arminium ipsum, Christi religionis profanos irrisores fuisse existimant.* (n)

Remonstrantes & Ordinum Generalium literis, & ore amplissimorum Delegatorum, qui Synodum Ordinum nomine dirigebant; vel centies, etiam sub contumaciæ pœna moniti, ut obloqui cessarent, moderata consilia agerent, in rem præsentem irent. Cum autem antiquum obtinerent, multoque jam tempore æquitati, patientiæ, mansuetudini Synodi, meras calumnias, fraudes, mendacia opponerent, jubareque meridiano clarius appareret, Dordrechtii nihil ab illis agi, nisi ut tempus protraheretur, & sumtus in immensum cre-

E e s

sc-

(n) 4. Mart. 1619.

scerent, Synodus declaravit tandem, eos indignos, cum quibus de his rebus diutius ageretur; sicque 17. Jan. Sessione septima supra quinquagesimam, Synodo exire jussi, & dimissi: Urbem tamen deserere prohibiti sunt.

Navigium Synodicum his turbinibus sopitis, & hâc saburrâ liberatum, secundo vento plenisque velis ad portum festinavit, eumque ex voto obtinuit. Id quî factum, ut narrem, & Vos, Auditores, à me expectare mihi videmini, & fides vobis data mihi imperat. Eam ut exolvam neque vobis, neque mihi molestum futurum confido; quia dum id agimus, sensim ad littus provehimur.

Contemplamini & veneramini mecum Patrum vel nullam deinceps, vel exiguam expertorum difficultatem, in provinciæ suæ administratione, solidam *justitiam*, sollicitam *industriam*, piam *prudentiam*, judicii *integritatem*, *harmoniam suavissimam*.

Justitia erat, quòd Remonstrantium sententiam ad Lydium Scripturæ lapidem exigere convocati, prius nihil habuerunt, quam accusatos audirent, eorumque de Prædestinatione & annexis capitibus mentem explorato tenerent. *De quo enim futura est disputatio, debet inter utrumque convenire quem sensum habeat.* (o) Ne viri illi Dei hic impingerent, nullum non moverunt lapidem, nullam non de-

(o) Hieron. adv. Pelag. dial. I.

devorârunt molestiam. Multis aliis occupa-
tissimi, ab ipsis Synodi auspiciis, stimulante
ejus Præside, utriusque partis scriptorum le-
ctione, ad controversiarum examen se præpa-
rârunt. Præsentes adversarios religiosè mul-
taque cum longanimitate, ut animi sensa de
tanti momenti rebus promerent, anquise-
runt: tergiversantes lucifugas, *industriâ* ju-
stitiam sublevante, in libris suis loquentes do-
mi audiverunt. Quid! quod nulla dies
abiit, quin semel iterumve ad collationes pu-
blicas coiverint. Animus eorum erat arcus
semper intensus, rei que fidei suæ commissæ
intentus,

Pietatis erat, quòd jejuniis cum Belgio fœ-
derato celebratis, Synodum & inchoârunt &
terminarunt: quòd singulos confessus preci-
bus publicis, tanquam sale condierunt: quòd
fidei, quam jurati Deo dabant memores, in
meditationibus, dictis etiam suis, unicè ab o-
re Dei pependerunt. Non quid de consiliis
& viis Dei Erasmus, quid Calvinus, Armi-
nius, Gomarus, sed quid Deus, qui Veritas
est, in verbo inquam suo, puta scripto, quod ve-
ritas est, dixerit, solliciti. Hæc Dei vox, ani-
ma est Canonum ab eis formatorum.

Nec minor *sapientia & prudentia* in hoc eo-
rum studio emicuit. Nega sapienter & pru-
denter in hac provincia versatos, qui, quid
Spiritus de capitibus in dubium vocatis *Ecclesiæ*
dixerit, à *Scribis ad regnum cœlorum* promoven-
dum *eruditis & aptis*, diligenter considerari,
de-

Quidni admirationi ? Sancta hæc Synodus enim , aliqua Ecclesiæ Belgicæ παλιγγενεσία, quantam ei Metamorphosin conciliabat: Cardines ejus à pluribus lustris impune concussi: Mysteria sanctissima , explōsa sibilō, vix eis nomen relictum ; & ut Christus , in impia ejus per Pilatum cum Barnaba contentione, à Judæis impie rejectus , ita sacrilegi pessimi , naturam cum Gratia : Spiritum Dei, cum Spiritu hominis : libertatem filiorum Dei, cum servitute arbitrii & peccati: Scripturam cum ratione : lucem cum tenebris : vitam cum morte, iniqua suspendentes lance : naturæ, homini, servituti, tenebris, morti, si non primas, saltem non inferiores partes concesserunt ; At Dordraci gratiæ vita, Electioni, æternitas : sanguini Christi nitor: Spiritui Christi, efficacia : Vitæ Christi, immortalitas restituta, Ecclesia à gravissimis mortibus & pravissimis insultibus liberata. Eorum authores Ecclesia , omnique ejus Ministerio , donec ad frugem redirent, eliminati : Omnes Confessionis Belgicæ Articuli, omnes Catecheseos dialogismi Synodo prælecti , rigide probeque examinati , & consentientibus omnium exterorum, domesticorumque suffragiis , verbo Dei consentire declarati. (p) Mascule omnia ; mature ; nec sine labore , brevi tamen , quod admirationem supra modum auget, tempore. Synodus

(p) Act. Dordr. I. 301. 317.

dus enim Syrtes illas, eminus, & obiter qui-
 dem, a nobis indigitatas prætervecta, intra
 quadrimestre præter propter spatium, hæc
 & plura expedivit: & Deus, boni ominis er-
 go, durante adhuc Synodo, illustres Belgii
 Ecclesias, Remonstrantium fermento infectas,
 commovit, ut sponte illud expurgaverint,
 & Ministros sinceri commatis à Synodo sibi
 dari flagitarint. Nec gratiæ tantum præsen-
 tis pignus, Synodus bonis viris videbatur,
 sed etiam spei fulcrum, perfidiam Pelagianam
 nullum deinceps ad Ecclesias Reformatas na-
 cturam accessum.

Hæc illa Synodus est à *Belgii Ecclesiis*, do-
 ctinæ veritatis, quæ est secundum pietatem
 studiosis, *vix expectata: extraordinario atque
 mirabili Dei beneficio congregata: (q)* quâ delectus
 illius ævi Theologorum Ecclesiæ Refor-
 matae flos constituit; cui similem Ecclesia Re-
 formata nunquam viderat, ab eo tempore non
 vidit, utinam nulla deinceps colligendæ ne-
 cessitas ei imponatur! Innumeris quibus Bel-
 gium fœderatum inclutum est triumphis, po-
 tior! Adamas inter gemmas, quibus Reipu-
 blicæ illius, ipsiusque Ecclesiæ Reformatæ dia-
 dema nitet! Panegyris, quæ sive causæ ab ea di-
 scussæ, momentum, sive personas in illustri
 Theatro conspicuas, sive animum quem ad
 causæ cognitionem attulerunt, sive mo-
 dum & methodum medendi, qua usi sunt, si-

(q) Joh. Polyand, in Orat. Act. Dordr. I. 166.

ve successum quo illustris coetus nobilis & notabilis est, spectes, ad præcipuas cujusvis ævi Synodos, quam proxime accedit.

Caninis eam dentibus mordeant, & lace-
rent, Esavitæ : inprimis Remonstrantes!
Applaudant his illi ungues in ulcere, quos
fratrum Protestantium iræ mutua delectant!
Opponimus universis (rumpantur ut Ilia
invidis) Acta Synodica Illustrissimorum Or-
dinum nomine publicata, ipsos Ecclesiæ ho-
stes, in quorum frequenti concursu Synodus
plurima gessit, tanquam *αυτηκόως ηὐτοπίως*,
non erubescant : & quibus qui fidem dene-
gaverit, videat qua fide ipse dignus, aut qua
demonstratione ipse aut quisquis alius, suis
assertionibus fidem conciliaturus sit!

Est ergo quod Dei manum, oculos, spiri-
tum veneremur, qui novos gratiæ Dei præ-
dones & proditores observavit, notavit, Ec-
clesiæ suæ, & ejus in Belgio, & qua late Ec-
clesia Reformata patet, Defensorum, Re-
gum, Principum, Rerum publicarum Spiri-
tum alacrem reddidit, ut gloriæ & causæ Dei
Zelo incensi, eam à periculo in quo adduce-
batur, assererent. Memoria eorum, qui ex
utroque Ordine fidem suam Deo & Ecclesiæ
tam religiose, tam magnifice comprobarunt,
sit in benedictione!

Ne illi oleum operamque perdidierint, ci-
melium ab eis tam feliciter vindicatum, Eccle-
siæ vere Reformatæ, præ quibusvis aliis cœ-
tibus

tibus Christi nomen præ se ferentibus, peculium, non sine insigni nostra apud posteros, & quos non bonos? infamia: non sine ingenti nostro aliorumque damno, id pro quo alii ad sanguinem usque decertarunt, nullis nobis Chrestologorum, agyrtarum, sophistarum argutiis & nugis, manibus extorqueri patiamur! Obvios quosque libros, sine delectu legere & admirari, Canina fames & sitis est, quæ promiscue panem & toxicum deglutit ex fonte & ex palude lingit; cum illis quorum cultus rationalis est, etiam τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα, rationale sincerum lac appetendum sit.

Valeant nasutuli qui proram & puppim sapientiae esse statuunt. Rationi adversum veritates solis radiis in Scriptura pictas, parati agædiant & debacchanti habenas laxare: merces suas furo majoris profectus, aut compendiosioris methodi illinere: Libertati imo licentiæ, quidvis sentiendi, loquendi, primùm in conventiculis; mox etiam publice docendi, scribendi, conscientiae dictamen, imo aculeum obtendere. Quasi Ecclesia, quæ peste laborantes, suum venenum quibusvis affricare prohiberet, aut quorum errores tamdiu moratur, donec ipsi confiteantur, conscientiae suæ jam satis esse factum, non sit Libera. Ecclesia Lugdunensis in Gallia olim eheu! Reformata, in ipsis fere adhuc cunis vagiens, nonnullis Semipelagianismo gravidis, eam tentantibus graviter

viter, ea inquiebat occasio si semel admittitur, ut liberum sit cuique quod volet sentire, & defendere, difficile, imo impossibile postea fuerit à majoribus momenti scandalis aream domini repurgare.

Fuit itaque Synodus Dordracena, estque etiamnum Illustrissimis Belgii Ordinibus, simul in expugnabile adversus hostes utriusque libertatis, novos insultus minitantes, munimentum, & omni ære perennius pietatis eorum monumentum; Hanc autem gloriam, Magnificentissimi, Amplissimi Viri, Ordines potentia & sapientia præfulgidi, Antecessoribus, Avisque Vestris, quorum quidem anima in cœlo triumphat, nomen autem in terra immortale est, hæctenus communem esse voluere, quod illos, ut Joabus fratrem suum, in victoriæ ad quam aspirabant consortium, invitarunt, & facile pertraxerunt. Horum æmuli Patres vestri, quanto in pretio Dordracenos Canones haberent, declaraturi, consilio divinitus dictato, (r) satagentibus pariter reliquis Helvetiæ Reformatæ Amplissimis Magistratibus, etiam Genevensi, Formulam Consensus, concinnari curarunt & receperunt, sacrum & efficax futurum repagulum, ne quæ alibi, imprimis in doctrina de gratiæ amplitudine invaluere, opinionones sequiores, nostram quoque teneram juventutem, atque inde ipsas etiam Ecclesias nostras

Class. IV. Fasc. III.

Ff

suc-

(r) ὁ μανασ. P. Werensfels. parentat. Gl. Germlert dict. p. 41.

*successu temporis inficerent, & vitiarent, quocir-
 ca & verbi divini in Patria Præconibus, & Na-
 ziræis hanc serio legem dictam esse volunt, ne quis-
 quam eorum animum inducat, sive publice sive pri-
 vatim proponere dubium vel novum aliquod do-
 gma fidei in Ecclesiis nostris inauditum, verbo Dei,
 Confessione Helveticæ, libris nostris Symbolicis, &
 Synodo Dordracenæ repugnans, impugnans, in pu-
 blica ἐπισημασθέντων fratrum ex Dei verbo non evi-
 ditum atque sancitum. (s) Haud minus notoria
 univèrsùm orbem pietatis vestræ laude, tan-
 quam ἐνωδιᾶ suavissima implentia, secundas
 faciente Deo, veritatis & pacis in Ecclesia,
 tutelæ vestræ à Christo commissæ conservan-
 dæ specimina, Patres Conscripti, hodieque ipsi
 editis, vosque non minus veritatis quam Ju-
 stitiæ Antistites præstatis. Verbum enim Dei
 & cultum inde delineatum pius Magistratus
 non minus defendit, quam Mœnia. Quan-
 doquidem Religio & Mœnia pari passu ambu-
 lantetia una sorte utuntur: illa stante vel nu-
 tante, etiam mœnia vel stant, vel nutant.*

Huc Venerabiles, Clarissimi, Excellentissimi Viri,
 vota, huc consilia vestra, huc labores, otia,
 vigiliæ, sponte feruntur, ut sanctorum in
 sacra vestra provincia Antecessorum, & eo-
 rum qui vos in Christo genuerunt, memores,
 imitatores eorum sitis, quemadmodum & ipsi
 Christi erant. Quantum Patribus ubique
 splendorem, quantam apud pios posteros ve-
 ne-

nerationem, conciliavit, quod inter tot aliarum Ecclesiarum, vel concussiones, vel etiam minas, nostra Ecclesia ad hæc usque tempora doctrinæ sinceritate gaudet. (t) Pridem & ipsi eo nomine hacatombas eo nomine Deo obtulerunt, & exteri Dei in nos beneficium altis tibiis deprædicaverunt. Utinam Deus hanc laudem sibi etiam præparet in Natis Natorum & qui nascentur ab ipsis! Ob operam hanc non soli Patriæ, sed reliquæ Ecclesiæ navatam, encomium nostrum meretur, magnus & in Doctorum Ecclesiæ nostræ choro, quod in Philosophorum corona Plato fuit, *Breitingerus* ille, tota vita de Ecclesiæ præclare meritis, seipso tamen major, cum inter Sidera illa Dordracena, ut primæ magnitudinis stella micaret, & in theatro illo quotidianæ prudentiæ, moderationis, pietatis, vigilantia documenta daret: Collegii Helvetici illic moderator dexterimus; & Bullingeri, cujus venerabili nomine Novatores vanissimè in rem suam sine modo abutebantur, integerrimus, ex Autographis, providentia Dei, pridie demum sui in Belgium discessus, inter alias Ecclesiæ Tigurinæ Archivi chartas, repertis, vindex. (u) Dignus qui redux & ab Amplissimo Magistratu, & à Venerandis Collegis aureo honoraretur munere: suoque tempore doctam

Ff 2

de

(t) Stukii verba p. 613. exterorum p. 650. Hottingeri 904. in hujus Hist. Eccl. Tom. 8. (u) Hotting. Hist. Eccl. Tom. 8. p. 918. sqq. 964z

de Fœderati Belgii *παλιγγενεσία* Orationem
 ex Cl. Collegæ ore audiret. Hujus, Antecesso-
 rum Collegarû, successorum ejus, cum Domino
 suo in cœlo piorum Doctorum gloria jam coru-
 scantium pietatem, scio, colitis. Si Spiritus, qui
 hos animavit, nos dum in hac militia spiramus,
 eorundemque coronam speramus, vegetat &
 movet, nostrum quisque à S. Paulo sibi di-
 ctum existimabit: *Tu ô homo Dei, prosequere ju-
 stitiam, fidem, charitatem, patientiam, &c. certa
 bonum certamen fidei &c. Denuntio tibi coram
 Deo, qui vivificat omnia, & Christo Jesu, ut serves
 præceptum (non inquam in solo ore, ut piscis
 didrachma, sed vel maxime in bona consci-
 entia. Nam cum didrachma illud aliis profue-
 rit, ad piscem ipsum nullus inde redun-
 davit fructus. Ita si præceptum Christi
 ore confessus fueris, non etiam credideris: si
 soli ori, non etiam cordi propinquum fuerit,
 etiamsi aliis fortasse utcunque utile fuerit, ti-
 bi tamen proderit nihil, imo plurimum obe-
 rit) ut, inquam, præceptum serves, absque macu-
 la, absque reprehensione, usque ad apparitionem
 Domini nostri Jesu Christi.*

Etiam vos volo, qui in Ecclesiæ, Reive pu-
 blicæ spem feliciter surgitis. Aetati vestræ
 vanitas potissimum insidiatur: aliis subtilita-
 tis & sapientiæ; aliis voluptatis, aliis alia spe-
 cie fucum faciens: omnibus inanitate sua
 delusura. Solidis opus est. Aditus ad ea
 nullis patet se ipsos admirantibus, suo inge-
 nio

nio nitentibus, sed prudentibus, Deo se in disciplinam tradentibus. Sic dixit Jehovab tuus, Sanctus Israël, ego Jehovab Deus tuus qui te condocefacio ad utilitatem qui te facio incedere in via in qua ibis. (x) Sapientiae nectar sititis? Oceanus ejus sunt S. literæ. Terque, quaterque beatum, quem, ut Paulus Timotheum suum compellare licet; *A puero S. literas nosti, quæ Te possunt sapientem reddere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu.* Qui harum literarum lectionem meditationemque fastidiunt, amant more scarabæorum ἀπολείπειν τὸ μύρον, καὶ τὰ δυσώδη διώκειν, *suave olentibus neglectis fœtida sectari.* Apelles Veneris caput, & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam corporis partem inchoatam reliquit. Studia & paginas S. rite tractantium, prima cura est, ut Christus in ipsis formetur. Nihil hic picturis, ne quidem politissimis; nihil fragmentis datur. Nec ingenium his opibus fœcundari sufficit. Totus Spiritus & anima & corpus, Christum & Spiritum Christi exhibere debent.

Denique meminisse convenit, quoties Dei gloria, Ecclesiæ peculium, animæ salus, conscientiae tranquillitas in discrimen vocatur, omnibus Ecclesiæ civibus accurrendum esse: cum gratia Dei in controversiam vocatur, nemini bono manus in sinu gerendæ: nullus Ecclesiæ civis rude donatur. Præcipuum te-

Ff 3

lum

(x) Es. 48: 17.

lum quod hostes ejus in eam intorquent, petitum est ab eorum, qui Pauli de Prædestinatione & capitibus ei affinis doctrinam profitentur, moribus. Hos clamare, eam pietatis esse novercam, timoris amorisque Dei sterilem, vel miseræ desperationis vel solutæ vitæ matrem, & nutriculum; non ergo bonam arborem, sed senticetum esse. Si Dei filii sumus, si Patrem cœlestem amamus, ad has injurias, ejus verbo intentatas, nec surdi nec muti simus oportet. Si Christum *καὶ φθασίας* sincere diligimus, ora blasphemis obstruemus; non castris Pauli desertis in castra opposita concedendo; *Maneamus in eis, quæ didicimus, & de quibus nobis fides facta est, scientes à quo didicerimus.* (9) Nec satis est veritates has ex Pauli aliisque divinis scriptis demonstrari à nobis posse. Sed innocentia & integritate morum, & doctrinæ & conscientiæ nostræ consulemus: simul illius puritatem hujusque tranquillitatem aliorum oculis subjecturi. Hac clava & calumniarum & errorum monstra, & lupos caula Dei propellemus; Ita *sanctificabitur nomen Dei, adveniet regnum ejus: voluntas ejus in terra fiet, quemadmodum in cœlo.* Cumque piæ assiduæque preces clavis illa sint, quæ hæc nostra, cujuscunque Ordinis & ætatis simus, gaza referatur, palmas mentemque ad Te Regem Regum, gratiæ omnis fontem & Ocea-

Oceanum, hæreditatem nostram, nos conver-
 timus : Tu ante jacta mundi fundamenta no-
 mina nostra libro vitæ agni, manu Tua gra-
 tiose inscripsisti : Tu nos operum tuo-
 rum Colophonem, ad imaginem tuam
 finxisti ; à Te aberrantes Verbo gratiæ Tuæ
 ut gallina pullos suos evocas ; servos Satanæ
 brachio Tuo in libertatem Dei asseris : Re-
 finge magis magisque corda nostra ad ima-
 ginem tuam eisque legem Tuam inscribe,
 ut nunquam à Tui amore & timore receda-
 mus. A pascuis Tuis deviantes, magne ovi-
 um Pastor, humeris tuis impositos, in com-
 munionem Tui restitue. Vindica Ecclesiam
 Tuam, sponsam, corpus, turturem tuam, in-
 primis Palatinum ex unguibus & faucibus
 deglutientium eum. Sit almus Magistratus
 noster porro nutritius Ecclesiæ, pergat glo-
 riam suam omnem Civitati Tuæ inferre ;
 hujusque splendore vicissim in eam redun-
 dante, regni Tui gloria & universa decora,
 magis magisque intra Patriæ fines niteant.
 Sint Patriæ Patres totidem *Israëles*, qui sive
 tecum per preces, sive cum hominibus per
 decreta & consilia sua certent, in omnibus
 ὁ πανικῶσι *semper victoriosi existant*, Tuo præsi-
 dio adversus omnes hostes tecti & tuti : Tua
 benedictione omnis boni cornucopiæ, &
 promptuarium, exulum asylum, Tuæ deliciæ!
 Sint nostri Doctores *Jeremiæ*, columna ferrea
 & murus æneus adversus quosvis gloriæ,

„veritatis, sanctitatis Tuæ aggressores. Tuum
 „in eorum ore verbum, malleus sit ad adver-
 „sarios ejus contundendos: & ignis ad pa-
 „leas, vepres, stipulas consumendas. Sint
 „*Esaiæ*, quorum labia pruna ab altari Tuo
 „sanctificata sint; *Pauli*, qui omnia omnibus
 „fiant, & per quos omnium, ad quos eos mit-
 „tis, oculi & corda aperiantur, ut illumi-
 „nati & conversi remissionem peccatorum, &
 „sortem inter sanctificatos accipiant, quæ est per fidem
 „in Te! (z) Sint Collegia, Classes, familiae Ti-
 „gurinæ universæ, officinæ veritatis, tuguria
 „sanctitatis, paradisus charitatis! Omnis po-
 „pulus tuum sit peculium: sanctus sit; pupil-
 „la tua sit; Terra nostra Templum sit, cujus
 „extremities fimbria tua impleas! sanctifices!
 „vivifices! *Habita, ô sancte! gloriationes Israël!*
 „(a) *Totam terram gloria tua impleat!* (b)

Dixi.

(z) Act. 26: 18. (a) Ps. 22: 4. (b) Eccl. 6: 3.

GERHARDI OUT-
HOVII,

ad locum JACOBI V: 16.

Observatio.

ARGUMENTUM.

Δεησις notat deprecationem §. 1. vi vocis, petitionem rei, qua indigemus §. 2. Vel potius generaliter preces in S. Script. §. 3. Apud scriptores ecclesiasticos §. 4. & profanos §. 5. Unde male semper vertitur deprecatio §. 6. Quid sit homo δικαιος. Locus Prov. XV: 8. §. 7. 8. Vox ενεργημενη an vertenda sit efficax. §. 9. & quo sensu ita oratio iusti dici possit §. 10. an continuata & ardens §. 11. Sed vertenda παθητικη; ενεργειν quid sit. Locus Gal. II: 8. §. 12. ενεργεισθαι semper παθητικη sumitur §. 13. Quod probatur per inductionem locorum, quae illustrantur Rom. VII: 5. 2. Cor. IV: 12. §. 14. I. Thess. II: 13. 2. Thess. II: 7. §. 15. Ut & vox ενεργημενη, ut patet ex 2. Cor. I, 6. Gal. V, 6. §. 16. Eph. III, 20. Col. I, 29. §. 17. 18. ενεργημενοι: ενεργημα §. 19. Oratio ενεργουμενη est precatio a Sp. S. formata. Ille auctor precum. Locus Rom. VIII, 26. §. 20. Quomodo de oratione dicatur πολυ ιχουειν; §. 21. Vis & efficacia precum. Jac. V, 17. illustratur §. 22.

Πολύ ισχύει δέησις δικαίη ενεργυμένη.

§. 1.

Quatuor ad hunc observo Locum.

1. quid sit δέησις oratio.
2. quid sit δέησις δικαίη, oratio iusti.
3. quid additum participium ενεργυμένη notet.
4. Prædicatum, πολὺ ισχύει, multum valet.

VOX Δέησις a multis vertitur *deprecatio*, Belgice, *afbiddinge*, adhibita ad avertenda mala, seu qua rogamus liberari malis urgentibus. Sic sumitur a Theodoreto in 1. ad Timoth. cap. 2. δέησις ἐστίν, ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς πινῶν λυπηρῶν ἰκετεία προσφερομένη, i. e. *deprecatio est ad malorum quorumpiam depulsionem oblata supplicatio*. Sic quoque Theophylactus ad eundem locum, δέησις ἐστίν ἰκετηρία προσφερομένη ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς πινῶν λυπηρῶν, i. e. *deprecatio est supplicatio oblata pro liberatione a rebus tristibus*, quam significationem Beza approbat, ac derivat verbum δέομαι, παρὰ τὸ δέος, id est, a timore in not. ad Act. 1: 14.

§. 2. Verum ita Δέησις in sacra scriptura, uti & verbum δέομαι, aliquando quidem occurrit, sed rarius. Et, si vim vocis spectemus, significatur per δέησιν talis oratio, vel *precatio* qua nostram apud Deum testamur *indigentiam*, seu *egestatem*: ἀπὸ τῆς δεῖσθαι, *indigere*, *opus habere*, uti sic apud Herodianum δεῖσθαι τινος, *opus habere re aliqua*, δεῖσθαι ὀπλων, *indigere armis*,

mis, occurrit, l. 2. c. 8. com. 15. lib. 8. c. 2. com. 11. sic apud Ælianum lib. 13. c. 1. v. h. & lib. 13. c. 28. pro opus habere, indigere & sic passim apud alios græcos scriptores, apud quos δέησις quoque notat indigentiam, egestatem, unde & ἐνδεία indigentia, ἐνδείης, indigus, cui aliquid deest, εἰκδεία, penuria, ἐκδεί, opus est, deest, & quæ sunt alia. Quare Harpocracion in libro περὶ τῶν λέξεων pag. 43. ait, δέησις, ἄντι τῆς ἐνδείας. Est ergo δέησις petitio ejus & δεόμεθα, qua indigemus: uti Gregorius Nazianzenus carmine Jambico 15. ait, δέησιν οἷς, τὴν αἰτησιν ἐνδείων, i. e. existima δέησιν esse petitionem eorum, quæ tibi desunt.

§. 3. At si usum vocabuli δέησις, & verbi δέσθαι, sequamur, comperiemus, δέησιν τὰ apud Sacros scriptores, quam apud ecclesiasticos ac profanos, in genere notare petitionem aut precessionem quamlibet, etiam αἰτησιν ἀγαθῶν petitionem boni, æque ac προσευχὴ ex gr. Luc. 1:13. ubi Angelus Zachariæ pro filio oranti respondit, μὴ φοβῆ Ζαχαρία διότι εἰσηκῆσθη ἡ δέησις σου καὶ ἡ γυνὴ σου Ἐλισάβετ γεννήσει υἱόν σοι, sic 1. Pet. 3:12. nam oculi domini sunt intenti in justos, & aures ejus (eis δέησιν) in precessionem eorum: qui locus desumptus est ex psalmo 34: 16. ubi in Hebræo textu est קוֹל i. e. clamor, vociferatio, quiritatio, qua salus petitur, à קוֹל vociferari, & ubi à LXX. interpretibus adhibetur δέησις uti etiam Pl. 40:2. a quibus hæc vox δέησις quoque sumitur pro קוֹל i. e. supplicatio, qua aliquid ab immerito favore ob
indi-

indigentiam boni petimus, ut Coccejus ait ad Ps. 55: 2. vide etiam Ps. 130: 2. nam *נחן* supplicatio favoris, est ad rad. *נחן* gratiam fecit, gratiose largitus est, & sic *נחן* est supplicatio favoris ab eo, qui dives est gratia, ad condonandum & donandum, ut Witius ait, exercit. 1. §. 10. de oratione. Et hanc supplicationem LXX. interpretes etiam per *δέησιν* exprimunt, quam vocem sacri scriptores sæpe pro precatone in genere usurpantur, & Belgæ aliquando *eene gebedt*, aliquando *eene smeekinge* uti & *δέεσθαι* per *bidden smeeken*, interpretantur, vide Luc. 10: 2. Act. 1: 14. 21: 39. 26: 3. 2. Cor. 5: 20. Gal. 4: 12. Luc. 1: 13. 2. Cor. 1: 11. 9: 14. Philip. 1: 19. 4: 6. Eph. 6: 18. 1. Timoth. 2: 1. 5: 5. & alibi.

§. 4. Sic sumitur à scriptoribus ecclesiasticis, ut à Chrysostomo homil. 134. t. 5. *δέησις λέγεται, ὅταν τις τὸν θεὸν ἀξιοῖ εἰς κερῶμα, petitio dicitur, quando Deum aliquis rogat rei cujusdam gratia.* Sic idem in Psalm. 102. *δέησις δηλοῖ τὴν αἰτησιν τὴν περὶ ὧν βούλεται ὁ προσευχόμενος αὐτῷ δεομένῳ παρασχεθῆναι, i. e. δέησις indicat petitionem eorum, quæ is, qui precat, sibi petenti dari petit.* Hinc *δέησις* est non tantum deprecatio, sed etiam, & sæpius, precatio, oratio, petitio, obsecratio, supplicatio, & pl. *δέησις* sunt preces ut Suicerus notat, ex glossis optimis, in observ. sacr. cap. 6.

§. 5. Et sic *δέησις* quoque apud scriptores græcos profanos sumitur pro precatone, aut
ora-

oratione, ubi & δεήσεις pro precibus & δέσθαι, pro orare, rogare, petere, precari, supplicare &c. Sic ex. gr. apud Isocratem in Plutaic. p. m. 586. edit. 1609. legitur, δεόμεθα οὖν ἡμῶν, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μετ' εὐνοίας ἀκροάσασθαι &c. oramus igitur, Athenienses, ut cum benevolentia nos audiat. & pag. 604. in eadem oratione, dicit, καὶ τοὶ πολὺ πλεῖ μείζονων καὶ δικαιοτέρων ἤκομεν τὰς δεήσεις ποιησόμενοι, praesertim quum nos propter res multo majores & equiores vobis supplicemus, ubi δεήσεις ποιῆσθαι, preces facere, est pro δέσθαι, precari, orare, ut ἱκετίας ποιῆσθαι, supplicationes facere, in orat. de permutat. est, pro ἱκετεύειν supplicare qua locutione δεήσεις ποιῆσθαι, Lucas quoque utitur Luc. 5:33. ubi de discipulis Johannis dicitur, quod νηστεύουσι πυνκτὰ καὶ δεήσεις ποιοῦνται, crebro, seu frequenter, seu ut quidam exponunt prudenter, jejunant, & preces faciunt. Sic etiam Paulus Philip. 1:4. Semper in omni (δεήσει) prece meae, seu in cunctis orationibus meis, pro omnibus vobis, cum gaudio (δεήσιν) prece faciens, i. e. orans. Et sic δεήσις saepe sumitur a Demosthene, pro prece, seu petitione, ut δέσθαι pro orare, rogare seu petere, sic orat. in Aphub. 3. pag. 560. c. δεόμεαι δὲ ὑμῶν, ὦ ἄνδρες δικασταί, δικαίαν δεήσιν, ἐξ ἴσου ἡμῶν ἀμφοτέρων ἀκούσαι, peto autem, Judices, equam petitionem a vobis, ut ex aequo utrumque nostrum audiat. Sic in orat. adv. Macastat. pag. 660. a. & in Evergum. pag. 685. a. eadem occurrit locutio. Sic πολλαὶ δεήσεις, multae preces

ces, apud eundem in *Midiam*. pag. 385. Sic
 γίνεσθαι δέησιν παρὰ τινος, fieri preces ab aliquo
 de falsa legat. pag. 200. b. Sic πλείονα
 ποιέσθαι τὰς δέησεις τινός, pluris facere preces ali-
 cuius, orat. in *Aphob. I.* pag. 556. a. Et sic δέεσ-
 θαι sæpissime pro orare, rogare, petere, imo
 supplicare, apud eundem occurrit. Et ut
 δέεσθαι est rogare, seu aliquid petere, sic ὑπε-
 τεῖν τῷ δεηθέντι, concedere aliquid petenti, occur-
 rit in orat. adv. *Timoth.* pag. 701. a. Et sic pas-
 sim apud alios scriptores Græcos. Sic *Ælia-
 nus Var. hist. lib. 3. c. 12.* αὐτοὶ γοῦν δέονται τῶν
 ἐρῶν ἐσπνεῖν αὐτοῖς, ipsi ergo rogant amatores,
 vel ab amatoribus petunt, ut sese ament. Vide
 etiam *lib. 7. cap. 20. & lib. 2. cap. 32.* in quo
 ultimo loco occurrit de interrogante, seu
 consulente oraculum, διὰ πνευ αἰτίαν δεόμενον
 χρησμοῦ quadam de causa oraculum interrogasse,
 seu consuluisse. Et uti δέεσθαι sic etiam sæpius
 ab *Herodiano* sumitur pro orare, rogare, im-
 plorare, orare μετὰ δακρῶν lachrimis, δέεσθαι
 συγγνώμης, rogare veniam, δέεσθαι ὑπὲρ σωτη-
 ρείας pro salute rogare, vide *l. 2. c. 14. com. 4. l. 1.
 c. 3. com. 7. lib. 7. c. 5. com. 8. lib. 3. c. 2. com. 7.*
 sic δέησεις etiam pro precibus, aut obsecrationi-
 bus sumit idem auctor *lib. 8. cap. 4. com. 25.* ubi
 de *Maximino Thrace*, *Aquilejam* omni vi
 frustra oppugnante, ait, ὑποσχέσεσσι τε οὖν δωρεῶν
 καὶ δέησιν αὐτός τε καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ, ὃν πεποιθήκει
 κάισαρος, περιδέοντες ἵπποις ἐποχοῦμενοι, τὸν στρα-
 τὸν ἀνέπειθον λιπαροῦντες, εἰς προθυμίαν τε ἐγείροντες,
 quem

quem locum interpres Angelus Politianus ita vertit, *Quocirca multa pollicentes atque ostentantes, ipse cum filio, quem Caesarem fecerat, obequitabant militibus, eosque ad pugnandum acriter adhortabantur.* ubi forsan pro *δείσει*, precibus, legit *δείξει*, ostentationibus, quia vertit, *ostentantes*, ut B. Scheidius in indice quoque observat, at cujus Lectionis nullam video rationem, ita igitur hunc Locum verto, *promissionibus igitur munerum & precibus ipse & filius eius, quem Caesarem fecerat, equis vecti circumcurrentes, vel obequitantes, exercitui persuadebant supplicantes, & ad pugnam excitantes.* Sic enim *ὑποσχέσει δωρεῶν μεγάλας*, *promissionibus munerum magnis*, apud eundem Herodianum occurrit, *lib. 1. cap. 10. com. 2.* quibus *promissionibus munerum* ut & *δείσει* *precibus*, exercitui supplicantes persuadebant ad acriter pugnandum in hac molestissima obsidione, & sic *ἐλπίζουσι καὶ ἰδέτω*, *supplicabat & orabat*, conjunctim legitur *lib. 3. c. 12. com. 20.* uti & *ὑποσχέσει καὶ ἐλπίσιν ἀναπέδων* *promissionibus & spe alliciens, vel persuadens*, *lib. 2. cap. 9. com. 17.*

§. 6. Miror igitur, quare multi interpretes hanc vocem *δείσει* ferè ubique in Novo Test. vertunt *deprecationem*, (a) *in qua*, ut Cicero lo-

(a) Puto autem illâ haud aptiorem vocem ab Interpretibus potuisse adhiberi, quod ex usu Latinissimorum scriptorum *deprecari* dicantur, non solum illi qui recusant aliquid, ne habeant, sed & qui expectant,

loquitur, non defensio facti, sed ignoscendi postulatione continetur, de invent. l. 2. cap. 34. Nam ex dictis patet quod δέησις magis petitionem boni, aut in genere, petitionem, precationem quamlibet, imo supplicationem notet, quam deprecationem, qua rogamus depulsionem mali. Quare Ulpianus Rhetor enarrat. in orat. Demosth. de corona, pag. 67. b. ad hæc Demosthenis verba, ἀξιῶ ἢ δέομαι πάντων, peto & oro vos omnes, ita loquitur, τὸ μὲν ἀξιῶ, τὸ δίκαιον νομίζω, ὑπολαβῶσι ἄν τις : τὸ δὲ δέομαι, σαφῶς τὸ ἰκετεῦν δηλοῖ nam ἀξιῶ, pro justum censeo, possit accipi : δέομαι autem perspicuè significat supplico.

§. 7. Sed pergamus. Loquitur Apostolus hic de precatione justī, δέησις δικαίου, scilicet ἀνθρώπου, hominis. Lato sensu ἀνθρώπος δικαίος dicitur homo bonus, probus, sincerus, integer vitæ ac morum, qualem Hebræi etiam vocant רָשׁוּם rectum, quique, ut Augustinus ait, dirigit

cor
tunt, ut habeant. Vide, quæ in hanc rem notata sunt a doctissimo Fratre meo præcedenti fasc. p. 358, 359. Locis ibi adductis addimus Cicer. ep. 7. L. IV. ad fam. Te multæ & assiduæ lacrymæ C. Marcelli deprecantur. Cum hoc loco confert aliam P. Manutius ex Or. Cic. pro Marcello. Cum M. Marcellum deprecantibus vobis conservavit. Sed nescio, num illa significatio huic loco conveniat, cum deprecantibus vobis melius videatur verti posse; Da ihr für mich eine Fürbitte einlegetet. Clarius est locus ex Or. ad Quir. post red. c. 6. Italia semper a vobis me deprecata est. Recte itaque δέησις transferunt deprecationem, cum utraque vox preces notet, quibus tam ad averrun canda mala, quam impetranda bona utimur. T. d. H.

cor suum ad voluntatem Dei, & cujus oratio Deo dicitur grata, Prov. 15: 8. oratio rectorum beneplacitum ejus. Ubi tamen per ⲙⲣⲓ intelligerem tales rectoros, qui vere pii sunt, qui- que, ut regeniti Spiritu Sancto, ac fide sin- cera in Messiam Christum, Deum rectè a- mant, diligunt ac colunt, quorum oratio op- ponitur sacrificiis sumptuosis impiorum, ut Lavaterus rectè observat, addens, si pii ali- quid a Deo petant, vel pro acceptis beneficiis ei gra- tias agant, gratius est Deo, quam si impii beca- tombas ei offerant. Si pii exiguum munus Deo afferant, pluris facit, quam si impii ingentes the- sauros offerant. Imo addo cum Gejero, Etiam si Ethnicus suo quoque more preces profuderit effli- ctim, etiam si infinitis βαρτολογίαις Turca unum sollicitaverit Deum, non tamen meliori eadem loco habentur, quam impiorum sacrificia, cum nesciant tales, quid adorent, Job. 4: 22. inanemque strepi- tum verba illa efficiant, non veram orationem. Quia vera oratio, quæ Deo placebit, a nemi- ne potest fundi, nisi qui ⲙⲣⲓ rectoros, i. e. ve- re pius est: & quia absque fide in Christo nemo vere pius dici potest, sequitur quod is vere pius est, qui fide in Christum purifica- tum possidet cor, quo Deum rectè secundum suam voluntatem colit, amat, ac diligit.

§. 8. Et ut ex hac descriptione ⲙⲣⲓ con- cludi posset, quod talis pius idem sit ac δικαιο- os, quia nemo pius esse potest, nisi qui prius justificatus est coram Deo: sic hoc loco per

δικαίον, *justum*, intelligo non talem, qui perfectè justus est, qualis datur nemo in hac vita, Jac. 3, 2. 1. Joh. 1, 8. Pl. 143, 2. sed verum fidelem, qui ob merita Christi justificatus est coram Dei tribunali, qui hæc Christi merita vera fide amplectitur, & qui sic purificatam justamque habet conscientiam per fidem, imo qui regeneratus per Spiritum Sanctum universam suam vitam secundum præcepta Dei sanctissima instituit, & indies magis ac magis instituere satagit.

§. 9. Hujus oratio Deo displicere non potest si modo rectè instituatur, vel formata sit, idcirco additur, quomodo *oratio justis*, si multum valebit, debet esse, nempe ἐνεργουμένη. Quod participium Calvinus, Beza aliique varii interpretes vertunt *efficax*, uti & Belgæ habent, *een kragtig gebedt*. Fateor, quod hoc participium, sensu tamen admodum remotiori, ita quidem verti posset, quatenus omne id, quod Deus per Spiritum Sanctum in fidelibus suis operatur, *efficax & firmum* est. Hinc ἐνεργουμένη, notante Knatchbul ex Hesychio, explicatur ἐνεργής, ισχυρός, δυνατός *efficax, potens, validus, fortis, potenter operans*. Uti & Joh. Cameron in *Myroth. Evangel.* ad hunc locum dicit, δέησις δικαίου ἐνεργουμένη hoc est, *oratio facta in fide, quæ constans est & firma, nam quod validum & firmum est, illud in scriptura dici solet ἐνεργουμένον*. Hoc ultimum dicitur, sed non probatur, nec ἀποδεικτικῶς probari potest, quia

quia hoc participium ἐνεργουμένη tantum quin-
 quies in toto Novo Test. in fæminino gene-
 re occurrit, & ubique passivè potest exponi,
 ut statim ostendam : adeo ut hoc ita abso-
 lutè dici non possit, quod omne id, quod va-
 lidum & firmum est, in scriptura dici solet ἐνεργου-
 μένον : quia hoc participium nullibi sic in neu-
 tro genere occurrit. Qui activè exponunt,
 dicunt quidem, quod ἐνεργοῦμαι sit mediæ si-
 gnificationis, quare ἐνεργουμένη tum quoque
 active vertitur, operans, agens, efficax, &c.
 At vero, si sic interpreteris, vel superfluum
 videtur illud πολὺ ἰσχύει multum valet, vel hoc
 participium ἐνεργουμένη efficax ; quia quod
 multum valet, illud est efficax, & quod efficax
 est, id etiam multum valet ; imo quia multum
 valet, ideo est efficax, & quia est efficax
 ideo etiam multum valet : esset igitur, qua-
 si diceretur, oratio justæ efficax, est efficax, & secun-
 dum Belgas, een kragtiggebedt des regtveerdigen is
 kragtig. Quod idem per idem esset di-
 ctum.

§. 10. Quis ergo non videt, hoc participi-
 um ἐνεργουμένη hoc loco aliter esse reddend-
 dum ? Viderant hoc etiam interpretes, ideo
 quidam ut Pareus & alii sic exponunt, ut il-
 lud epitheton efficax non tam subjectum Limitet,
 quam attributum augeat, quasi dicat, multum va-
 let, quia nunquam otiosa vel irrita est, sed semper
 efficax, a Deo impetrans, quod petit. Sed & il-
 lud quoque satis indicatur per πολὺ ἰσχύει,

multum valet, in eo enim *multum valet oratio justi*, quia *oratio justi* Deo est grata, quâ semper impetratur, quod petitur: uti ipse Salvator noster dicit *Job. 16. 23. quaecunque petieritis a Patre meo in nomine meo, dabit vobis.* Sic *Matt. 7: 8. πῦς γὰρ ὁ αἰτῶν λαμβάνει*, dicens ideo, *petite & accipietis. Job. 16: 24.* verum est, quod multi petunt, qui non accipiunt, sed ratio est, quia non rectè, sed malè petunt, uti *Jacobus ait cap. 4: 3. petitis & non accipitis, eo quod malè petatis.* At cujus oratio, est *oratio justi*, ille semper impetrat, quod petit: uti *David dicit, Ps. 4: 4. Jehova audit, quum clamo ad illum.* Et quare *Deus Ps. 65: 3. quoque dicitur auditor precum*, scil. justorum, quorum preces semper audit, ut *David dicit Ps. 34: 16. oculi Jehovæ ad justos, & aures ejus ad impetrationem eorum*, seu ut *LXX. ibi habent εἰς δέησιν αὐτῶν, in preces eorum*, nempe attendunt, ut exaudiat eos. Patet ergo, quod *oratio justi multum valet.*

§. II. In *Vulgata versione ἐνεργουμένη* vertitur *assidua*. Aliis *constans, operans, operosa, firma, actiuosa, importuna &c.* *Elias Hutterus* in *hebraica sua versione* totum hunc Locum ita vertit, כִּירָב כַּח בַּתְּפִלַּת הַצְּדִיק שֶׁהִיא לְנֶצַח i. e. *quia multum valet, vel magni roboris est, oratio justi, quæ in æternum vel in perpetuum.* Ita enim נֶצַח, per ellipsin ל, pro לְנֶצַח occurrit *Ps. 16: 11. & plenè לְנֶצַח 2. Sam. 2: 26. perpetuè, in perpetuum, a rad. inuisit.*

ⲛⲟⲩ in pihel ⲛⲟⲩ vicit, superavit, præfuit, urfit, sollicitavit. Et ut ⲛⲟⲩ, atermittas, etiam sumitur pro potentia, vel robore, Thren. 3, 18. aliis etiam pro fortitudine continuante, sic ⲛⲟⲩ ⲛⲟⲩ sumi posset pro oratione, aut precatone, quæ continua, vel continuans vel indefinens, & sic victrix est, vel quæ assidua, urgens, aut fortitudinis continuantis est, belgice, *welke van eene aanhoudende kragt is.* Cui explicatio- ni convenit Erasmi expositio, *deprecatio ex animo profusa, intenta, & instans, ut assequatur quod petit.* Qualis fuit, ut doctissimus Baro N. Knatchbull porro annotat, *Annæ, cum profudit animam coram Deo, 1. Sam. 1: 15. vel Jacobi cum luctabatur cum Angelo, Gen. 32: 24. vel Mo- sis cum adeo instaret, ut diceret ei Dominus, dimitte me, &c. Exod. 32: 10. 11. à Piscatore ver- titur ardens, & in Scholiis suis dicit, ad verb. Operosa, seu actiosa, Germanicè Eynbrünstig, ve- Emsig.* Certè si accommodatior & vi partici- pii aptior expositio dari non posset, mihi in- terpretatio, *continuans, instans, vel ardens* placeret, vel ut Belgæ nostri in notis dicunt, *vierig en oprecht, of sterkaanhoudende.*

§. 12. Verum magis mihi placet, ut parti- cipium ἐνεργουμένη passivè exponatur. No- tum enim est, quod activum est ἐνεργεῖν, ope- rari, efficere, belgicè, *werken*, vel *kragtig werken* efficaciter operari, imo inoperari, si ita Latine loqui liceret, uti Hilarius nomen ἐνεργεῖσθαι, vertit *inoperationem*: novo quidem, dicit Beza ad

1. Cor. 12:6. sed non infeliciter novato vocabulo, nam ἐνεργός, qui in opere est, quasi ἐν ἐργαίῳ, i. e. *actuosus*. Unde etiam Belgæ sic loquuntur Gal. 2:8. quando ibi bis vertunt *kragtelyk inwerken*, ὁ γὰρ ἐνεργήσας πέτρῳ εἰς ἀποστολὴν τῆς περιτομῆς, ἐνήργησε καὶ μοι εἰς τὰ ἔθνη, *want die in Petrus kragtelyk wrogt tot het Apostelschap der beschnydenisse, die wrogt ook kragtelyk in my onder de Heidenen.* Quem locum Beza sic vertit, *nam qui efficax fuit per Petrum, ad Apostolatam circumcissionis, efficax fuerat etiam per me apud Gentes, considerat enim Petrum, non ut subiectum, sed ut causam instrumentalem, forsitan, quia alibi, quando subiectum indicatur, additur præpositio ἐν, quæ hic non est. Ut Marc. 6: 14. καὶ διὰ τῆτο ἐνεργῶσιν αἱ δυνάμεις ἐν αὐτῷ, propterea virtutes agunt vel operantur in eo sic Eph. 1: 20. ἦν ἐνήργησεν ἐν τῷ χριστῷ, quam, scilicet ἐνεργεῖαν, operatus est in Christo, sic Philip. 2: 13. ὁ θεὸς γὰρ ἐστὶν ὁ ἐνεργῶν ἐν ἡμῖν Ἑ. Deus enim est, qui operatur in nobis Ἑ. sic Eph. 2: 2. ἐνεργεῖ ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας. Potest tamen subiectum indicari absque præpositione ἐν, quia multa verba dativum postulant vi præpositionis, cum qua composita sunt, ut sunt ἐν, ἐπι, παρὰ, πρὸς, σὺν, ὑπὸ, sic ex. gr. Damascenus *orthod. fidei l. 1. c. 1. ait, πᾶσιν ἡ γνῶσις τῆ εἶναι θεόν, ὑπ' αὐτῆ φυσικῶς ἐγκατέσπαρται, cum- Etis cognitio, Deum esse, ab ipso naturaliter insita est, sic Græci dicunt, τῆτο σοι ἐγγίβεται, hoc tibi inest, vel insitum est, ut Aristoteles ait,**

ἐδεμίω

ἐδραμία τῶν ἀρετῶν ἡθικῶν φύσει ἡμῖν ἐγγίβεται
nulla virtutum moralium nobis inest natura. Et
 sic hoc loco ἐνεργήσας Πέτρῳ, ἐνήργησε καὶ ἐμοί,
 aptè reddi potest, *qui efficax in Petro fuerat,*
 nempe ad functionem Apostolici muneris
 apud circumcisos, *idem in me quoque efficax*
fuit, vel operatus est etiam in me, nempe apud
 Gentes. Occurrit porro hoc verbum activum
 ἐνεργεῖν *Matt. 14: 2. 1. Cor. 12: 6. Gal. 3: 5. Eph.*
1: 11. 1. Cor. 12: 11. Philip. 2: 13. in totum er-
 go duodecies.

§. 13. At passivum ἐνεργεῖσθαι, *effici, agi,*
moveri &c. In toto novo Test. occurrit no-
 vies, scil. *Rom. 7: 5. 2. Cor. 4: 12. 1. Thess. 2:*
13. 2. Thess. 2: 7. 2. Cor. 1: 6. Gal. 5: 6. Eph.
3: 20. Col. 1: 29. & Jac. 5: 16. Quod ut
 passivum male a quibusdam redditur per ope-
 rari, quia operari non est passivum, sed acti-
 vum, ut Cameron rectè observat ad *Gal. 5: 6.*
 ubi addit, non necesse esse, ut ἐνεργουμένη pas-
 sive sumatur, concedens tamen passive posse
 sumi. Imo Scapula in Lexico pag. 501 dicit,
 quod ἐνεργεῖσθαι occurrit in activa significa-
 tione pro ἐνεργεῖν, *1. Thess. 2: & ἐνεργουμένη*
πίσις Gal. 5: 6.

§. 14. Ego puto in omnibus hisce allegatis
 locis, quæ hic cum brevi aliqua elucidatio-
 ne adscribam, verbum ἐνεργεῖσθαι ut & partici-
 pium ἐνεργουμένη passive posse exponi. Nam
 quando Paulus dicit *Rom. 7: 5. ὅτι γὰρ ἡμεν ἐν*
τῇ σαρκί, τὰ πειθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τὸ νό-

μὲς ἐνηργεῖτο ὃν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, εἰς τὸ καὶ παρο-
 ρῆσαι τῷ θανάτῳ. Quæ verba Beza sic vertit,
*cum enim essemus in carne affectus peccatorum per
 legem (existentes) agebant in membris nostris, ad
 fructum ferendum mortis, mihi ἐμφορικώτερον vi-*
detur, ut imperfectum passivum ἐνηργεῖτο et-
iam passivè vertatur, agebantur, efficiebantur,
movēbantur; quod affectibus quoque magis
convenit: & sic apud Polybium etiam passi-
vè sumitur hist. lib. I. cap. 13. κατὰ τὸν αὐτὸν και-
ρὸν, παρὰ τοῖς Ἑλλήσιν ὁ κλεομενικός καλέμενον
ἐνηργεῖτο πόλεμον, id est, ut Casaubonus inter-
pretatur, eodem tempore isto apud Græcos bellum
gerebatur, quod Cleomenicum vocant. Et sic 2.
Cor. 4: 12. ὡς ἐ ὁ μὲν θάνατος ἐν ἡμῖν ἐνεργεῖται, ἡ
δὲ ζωὴ ἐν ὑμῖν, non activè, sed passivè
verto, itaque mors quidem in nobis fit,
producitur, aut exercetur, vita vero in vobis.
 Quasi diceret Paulus, nobis quidem ob præ-
 dicationem Evangelii afficitur mors; at per
 nostram mortem vobis gignitur, augetur &
 perficitur vita spiritualis, & salus æterna: ad-
 eo ut nostræ afflictiones, imo θάνατοι, κίνδυ-
 νοι &c. 1. Cor. II: 23, 26. vestra commoda sint;
 unde vere dicitur, quod martyrum mors est
 vita ecclesiæ. Non ignoro, hunc locum ali-
 ter etiam exponi; nam Doct. Biermannus
 putat, Paulum hic loqui de morte Christi,
 quæ efficax in ipso facta erat, ut vetus homo
 indies magis crucifigeretur, & ut fideles spi-
 ritualiter vivi fierent, ac regenerarentur:

non impedit tamen ut ἐρεγγεῖται passivè sumatur : sed prior explicatio mihi magis placet, quia Apostolus de persecutionibus ac afflictionibus, quas propter Jesum passi erant, in præcedentibus commatibus loquutus erat.

§. 15. Sequitur tertius locus, 1. *Thess.* 2: 13. ubi loquitur Apostolus de verbo Dei, quod fideles acceperant, non ut verbum hominum, sed ut verbum Dei, ὅς ἢ ἐρεγγεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν, i. e. quod perficitur in vobis qui creditis. Nullus enim dubito, quin ἐρεγγεῖται hic passivè debeat reddi, uti hoc etiam passivè vertitur a nostris Belgis in quarto citato loco 2. *Thess.* 2: 7. ubi Paulus ait, τὸ γὰρ μυστήριον ἧδὴ ἐρεγγεῖται τῆς ἀνομίας, & quæ verba Belgæ nostri sic vertunt, want de verborgendheid der ongeregtigheyt wordt alrede gevrogt. Uti & passivè vertitur a Piscatore, jam enim peragitur mysterium impietatis hujus.

§. 16. Sequuntur jam quinque Loca, in quibus participium fœmin. ἐπερσομένη occurrit, quod etiam ubique absque ulla difficultate passivè potest verti, & a multis etiam vertitur. ut 2. *Cor.* 1: 6. sive affligimur, (premi-mur) pro vestra consolatione ac salute, (τῆς ἐπερσομένης) quæ efficitur, Belgæ hic etiam, die gevrogt wordt) per tolerantiam earundem perpe-ssionum, quas ἡ nos perpetimur &c. Alium horum verborum ordinem vide apud Bezam, qui tamen hoc participium etiam passivè, per efficitur, vertit, uti etiam Piscator & alii. Sic

Gal. 5: 6. nam in Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque praeputium, sed fides per charitatem (ἐνεργημένη) acta, aut mota, aut animata, vel incita ad opus, ut Hammondus meo iudicio hic optime loquitur, quamvis sic etiam aptè possit verti, sed fides quæ per Charitatem perficitur non more Pontificiorum, quasi fides a charitate generaretur, minimè; hinc Cameron, qui activè exponit, rectè addit, etsi passivè sumeretur, nihil tamen inde concludi posset adversus nos, esset enim locutio illi similis, ac quum dicitur, 2. Cor. 12: 9. virtus Dei perfici in infirmitate, hoc est, eam se tum vel maximè exercere, & prodere, atque ostendere, quanta sit, quamque summè potens.

§. 17. Porro Eph. 3: 20. dicit Paulus, ei autem qui potens est omnia facere superabundanter, vel copiosius, vel multis partibus, (uti ἐκ περισσοῦ sic usurpatur a Platone de legib.) supra ea, quæ petimus aut mente concipimus, pro vi illa, (τὴν ἐνεργημένην) quæ efficitur, vel perficitur, in nobis, scil. potenti vel efficaci operatione Spiritus Sancti. Quis illam δύναμιν ἐνεργημένην ἐν ἡμῖν fere aliter, quam passivè posset exponere? præsertim cum Paulus dicit 2. Cor. 12: 9, quod Dei δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ τελεῖται, ubi τελεῖται idem est ac ἐνεργεῖται, κατασκευάζεται. Sic iterum Col. 1: 29. cum Paulus ibi dicit, εἰς ὃ καὶ κοπιῶ, ἀγωνιζόμενος κατὰ τὴν ἐνεργίαν αὐτῆς τὴν ἐνεργημένην ἐν ἐμοὶ ἐν δυνάμει. Quis hæc verba ferè aliter, vel melius posset interpretari

tari quam sic, ad quod etiam enitor, vel laboro, decertans secundum efficacitatem ejus in me potenter effectam, vel actam, vel, quæ potenter in me efficitur, imo perficitur. Christi enim virtus est, quæ operatione Spiritus ejus in nobis efficitur, & quâ laboramus, ac decertamus. Tandem restat locus Jac. 5: 16. de quo statim.

§. 18. Et sic enumeravi omnia loca, in quibus hoc verbum ἐνεργεῖσθαι, uti & participium ἐνεργουμένη, occurrit: Sanè si quis hæc omnia rectè pensitaverit, non dubito, quin mecum facillè dixerit, & verbum ἐνεργεῖσθαι & participium ἐνεργουμένη ubique passivè debere exponi. Quare Hammondus dicit, quod hoc participium ἐνεργουμένη semper passivè sumitur, tum apud profanos scriptores, tum in sacra scriptura. Uti & Hesychio ἐνεργουμένη exponitur πελουμένη, vel τελειουμένη.

§. 19. Sed videamus, quomodo tandem hic noster Locus, Jac. 5: 16. sit intelligendus, seu quid sit δέησις ἐνεργουμένη. Ut igitur activum ἐνεργεῖν notat agere, operari, & participium activum ἐνεργῶν, agens, operans, Philip. 2: 13. sic infinitivus passivus ἐνεργεῖσθαι est agi, moveri, cujus participium ἐνεργέμενος est, actus, qui agitur, aut movetur, unde ἐνεργέμενος dicuntur, qui numine, aut dæmone aliquo, afflantur, aguntur, moventur, corripiuntur, aut vexantur. Unde Matt. Martinius in Lexi-

eo philolog. ait, *energumenus*, gr. ἐνεργούμενος, qui agitur. Per *Synechdochen* autem, qui agitur a Spiritu sive bono, sive (ut fere in theologorum scriptis) a malo spiritu ἐνεργεῖσθαι speciali significatio-
 ne est, *agi, agitari, moveri, correptum esse a damo-
 nio.* Sic apud Aretam in *Apoc. 6.* προφητὴς ἐνεργούμενη πνεύματι, i. e. prophetissa acta vel
 agitata a malo spiritu. Quales *Energumeni* in veteri ecclesia pavimenta domorum Dei qui-
 dem intrabant; Sed cum Sacra Mysteria ce-
 lebranda essent, clamabat Diaconus, *ite Energumeni.* Stabant enim hi *energumeni*, seu
 χειμαζόμενοι in loco templi, qui *ναρθηξ* diceba-
 tur. Et uti Spiritus Sancti vis erat operatrix prophetiæ, ut Tertullianus loquitur, *de ani-
 ma c. 11.* imo uti Petrus dicit, quod *Sancti Dei
 homines loquuti sunt* φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου, *acti a Spiritu Sancto, 2. Pet. 1: 21.* sic ἐνεργούμενοι
 non tantum dicuntur agitati aut correpti a malo dæmone, aut obsessi spiritu malo; sed
 etiam in bonam partem sancti Dei prophetæ
 sic dicuntur afflati divino spiritu Dei, ut apud
*Nazianzenum legitur, οἶδεν ὁ τῶν προφητῶν θεός
 καὶ οἱ τὰ τοιαῦτα ἐνεργούμενοι, novit ipse Prophe-
 tarum Deus, Ω si qui eo divini numinis afflatu
 provehantur.* Unde ἐνεργημα, *effectus, vis, ef-
 ficacia.* accipitur & pro vexatione aut agita-
 tione dæmonum, vel in bonam partem pro
 afflatione, aut efficaci operatione Spiritus
 Dei, *1. Cor. 12: 6, 10.*

§. 20. Est igitur, meo Judicio, δέησις ἐνεργημένη, talis oratio, quam operatus est Spiritus Sanctus in nobis, vel, quæ a Sancto Dei Spiritu nos intus agente dictata & formata est in cordibus nostris, ut Doctiss. Joh. Arrowsmith loquitur, *tañ. sacr. lib. 3. c. 1. sect. 14.* Cujus expositionis has duas porro rationes do, 1. Quia non valet oratio, nec multum valere potest apud Deum, quæ caret hac energie, seu efficaci operatione Spiritus Sancti, ut optimè Chrysostomus dicebat, ἀμήχανον ἀνθρώπῳ δυναθῆναι θεῖαν ἐνεργεῖν ὁμιλίαν, ἄνευ τῆς ἐνεργείας τῆ Πνεύματι, non potest homo cum Deo ferre colloquium absque energie, seu, efficaci operatione, Spiritus, vel ut alii etiam vertunt, nisi adsit vis ὁ ἄκτου Sancti Spiritus. 2. Quia Spiritus Sanctus est, qui preces in nobis formare debet, & cujus instinctu ac inflatu Deum orare debemus, ut Paulus docet, quando dicit, Rom. 8: 26. *quid enim precemur, ut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus Sanctus interpellat pro nobis suspiriis inenarrabilibus,* vel, ut Cel. Coccejus vertit, *gemitibus, qui sermone non explicantur, eloquio carentibus,* vel potius, ut Eruditissimus L. Bos in Ex. phil. p. III. demonstrat, *occultis suspiriis:* quia non dicitur σεναγμοῖς ἀνεκλαλήτοις, *suspiriis ineffabilibus,* ut Piscator hic vertit, sed ἀλαλήτοις, i. e. *suspiriis, quæ ex imo pectore fiunt, quæ non audiuntur, non proferuntur voce sonove audiuntur.* Spiritus Sanctus igitur est, qui nos excitare debet ad Deum pre-

can-

candum, qui materiam precationis nobis suggerit, suppeditat, ac ingerit, imo qui nos instruit, ac docet quomodo. & quibus verbis, aut suspiriis Deum decenter alloqui, eique supplicare possimus. Et hoc est, quod Paulus hoc loco verbo ὑπερευχόμενοι indicat. Unde Beza rectè dicit, Spiritus Sanctus pro nobis interpellare dicitur, non quod apud Patrem vel Filium, ut perverse docent Arriani, ipse sit Mediator; sed quia nos ad preces instigat, atque adeo veluti verba & suspiria nobis intus dicit. Sic dicitur clamare, Gal. 4: 6. quoniam facit ut clamemus, ut supra vs. 15. ipsemet Apostolus exposuit, ubi dicebat, accepistis Spiritum adoptionis ἐν ᾧ per quem clamamus Abba, id est, Pater. Uti & Piscator etiam dicebat, facit ut nos interpellemus seu appellemus Deum. Nam ipse Spiritus Sanctus Deum non invocat; quum non gerat officium Mediatoris. Gerit tamen etiam officium advocati, qui clientes instruit, quomodo libellus supplex sit offerendus judici. Hinc Cel. Coccejus breviter & optimè dicit, Advocati est 1. intercedere, ut & Christus 15. 34. & 1. Job. 2: 22. 2. alicujus causam agere contra adversarios, unde Spiritui attribuitur τὸ ἐλέγχειν, convincere, Job. 14: 16. 3. instruere clientes. Job. 16: 13. 14. 15. Et hi clientes nos sumus, qui multa apud Deum dicenda habemus; verum quid oremus, ut decet, ignoramus, ideo Spiritus Sanctus omnia quæ & quomodo petenda sint suggerit, instigans ac aptans nos, ut Deum decenter ac ardentè aptisque verbis oremus,

mus, & si verbis non semper possimus, ut eam
 tum occultis, tacitis ac imis suspiriis, & ex
 intimis animi penetralibus, supplicemus. Ec-
 ce, sic orare Deum debemus *per Spiritum Eph.*
6: 18. id est, per Spiritum Sanctum, a quo
 preces proficisci debent, ut rectæ, ac vere san-
 ctæ sint, ratæque, alias Deo gratæ non pos-
 sunt esse, si ab illo non sint profectæ. Ho-
 mines ψυχικοί, animales, πνεῦμα μὴ ἔχοντες, qui
Spiritum (Sanctum) non habent, Deum rectè
 orare non possunt, quia carent Spiritu illo
 Sancto, qui *Spiritus gratiæ & precationum* est
Zach. 12: 10. at vere fideles sunt, ἐν πνεύματι
 αἰγίῳ προσευχόμενοι, id est, qui Deum orant
per Spiritum Sanctum, ut Apostolus Judas do-
 cet *epist. vi. 19. 20.* Ex his omnibus concludo,
 quod δέησις δικαίῃ ἐνεργουμένη, sit oratio justī in-
 stinctu ac inflatu Spiritus Sancti dictata, ejus-
 que operatione formata, ac prolata: Quare
 textum nostrum sic belgicè exprimerem, *een,*
(namentlyk door den H. Geest,) wel of kragtig ge-
wrogt gebedt eenes regtveerdigen vermag veel.

§. 21. Sic enim Apostolus de tali precatio-
 ne justī jam dicit, quod πολὺ ἰσχύει *mul-*
tum valet, vel *multum potest*, nempe παρὰ
 τῷ Θεῷ *apud Deum*. Verbum enim ἰσχύειν no-
 tat, *posse, valere aliquid, vim habere.* Et sic lo-
 quuntur Græci μᾶζον vel πλέον ἰσχύειν, παρὰ τι-
 νι, *plus posse*, aut *valere apud aliquem*, uti &
 πλεῖστον ἰσχύειν παρὰ τινι, *plurimum apud aliquem*
valere, etiam μᾶλλον ἰσχύειν παρὰ τινι, *plus apud ali-*
 ali-

aliquem posse, & ἰσχύειν ἢ, aliquid posse, vel va-
 lere. Attribuitur hoc verbum quoque preci-
 bus a Chrysofomo, cum dicit, ὅπερ ἐκ ἰσχυ-
 σε φόβῳ, τῷτο δέησις ἰσχυσε, quod non potuit
 metus, id potuerunt preces. Hic Apostolus ait,
 quod oratio iusti dictata a Spiritu Sancto ac
 profusa ex animo, πολὺ ἰσχυεῖ, multum valet,
 multum potest, vel magnam vim habet nempe
 apud Deum, ut exauditionem obtineat, ut
 iram avertat, ac liberationem è periculis ob-
 tineat. Hinc Rabbinī dicebant, ut Buxtor-
 fīus annotat, ex *Cađ hakkemach fol. 79. col. 4.*
 in *Lexico Rabbin. pag. 1745.* גדול כח התפלה
 אפילו לשנות הטבע ולהנצל מן הסכנה ולבטל
 הנגור magna est vis precationis etiam ad mutan-
 dam naturam, ad Liberationem è periculis, & ad
 avertendas pœnas divinas. Sic etiam legitur
Jevam. fol. 64. col. 1. של נמשלה תפלתן של
 צדיקים לעתר מה עתר זה שמהפך התבואה
 ממקום למקום כך תפלתן של צדיקים מהפכת
 מדתיושל הקבה ממדת רנונוה למדת רחמים:
 Quare assimilantur preces justorum palæ ideo, quod
 sicut pala vertit frumentum de loco in locum, sic
 oratio justorum vertat proprietates Sancti b̄ned̄cti
 illius, (i. e. Dei) proprietatem scil. iræ in proprie-
 tatem misericordiæ. Unde Isaacus vocatus fuit
 עתרא דהפיק אררא pala vertens granarium,
 quod precibus suis verterit fatum divinum.
 juxta illud ויעתר Gen. 25: 21. in *Beresch. rab. sect.*
 63. *Buxt. Lex. Rabbin. pag. 1688.* ita enim dicit
 Moses

Moses Gen. 25:21. *Et exoravit Isaac Jehovaham pro uxore sua, quoniam sterilis erat ipsa, Et exoratus est ei Jehova, Et concepit Rebecca uxor eius.*

§. 22. Piorum enim preces nunquam negligit Deus, aut surda præterit aure, sed audit, & explet cumulativè. Vide Gen. 17:20. imo uti Apostolus Jacobus in præcedentibus versic. dicebat, *infirmatur quis in vobis? accersat Seniores ecclesie, Et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: Et oratio fidei servabit laborantem, Et eriget eum Dominus, Et si peccata commiserit, remittentur ei, confitemini invicem peccata, Et orate pro invicem, ut sanemini.* Sic optima morborum medicina sunt preces ad Deum, tum nostræ, tum piorum pro nobis: non quod pharmaca excludantur, sed cum primis Deus est implorandus, qui nos percutit, & qui exaudit, nostras preces, quique liberat nos ex omnibus periculis. Imo si oratio justi sit fidelis, humilis, & fervens, dicit Bernardus, *sine dubio cœlum penetrabit, unde certum est, quod vacua redire non poterit.* de quadrages. serm. 4. fol. 27. Penetrant etiam suspiria cœlum, & oratio justi clavis est cœli, ascendit precatio, & descendit liberatio, dicebat Joh. Gerardus meditat. Sac. 25. ubi & vim precum piorum optimè ostendit. Sed quam multum valet precatio justi, ipse Aposto-

lus Jacobus demonstrat exemplo prophetæ
 Eliæ, versu sequenti. Ubi Belgæ προσευχῆ
 προσήξατο malè vertunt, *hy badt een gebed*
 uti & Lutherus, *er betet ein gebet*, quia non
 dicitur in accusativo casu, προσευχὴν προσήξα-
 το, sed προσευχῆ in tertio vel sexto casu, uti
Matt. 15: 4. & alibi. Vide Bezam ad hunc
 Locum rectè annotantem in hac repetitione
 notari ardorem precum cordisque attenti-
 onem, ac si diceret, *ardentissime precatus est.*
 Non tamen est *repetitio hebraica*, ut Beza ait,
 multo minus in hac & similibus Locutioni-
 bus datur hebraismus, ut Vorstius, Leusde-
 nius, aliique viri docti volunt, sed est
 purissima locutio Græca, uti fusius
 demonstravi ad *Joh. 3: 29.*

C. A. HEUMANNI

DISSERTATIO

DE

THEOPHILO,

CUI LUCAS HISTORIAM SA-
CRAM INSCRIPSIT.

ARGUMENTUM.

Disquisitio de Theophilo non caret fructu §. 1. An gene-
raliter per eum notatur Vir Deum amans §. 2. An
certus quidam Vir, sed qui sub hoc nomine vo-
luerit latere. Fuit hoc nomen vulgatum §. 3. An
Theophilus fuerit Antiochenus. Vel ille, cujus
Tacitus meminit §. 4. Non fuit Antiochenus §. 5.
Sed fuit (a) vir primariae dignitatis. Quod pro-
batur ex titulo *Κεγτισος*. §. 6. Datur ille Viris
primariis & magistratibus §. 7. Veteres Viros sum-
mos sine titulis alloquebantur §. 8. Fuit (b) ethni-
cus: §. 9. De phrasi *κατηχησθαι* §. 10. Lucae Eu-
angelium est Apologia Christianae religionis
§. 11.

§. 1.

Nulla levis habenda est opera, quæ
sacro illustrando Codici impendi-
tur. Sæpe unius verbuli exactior
interpretatio multum lucis infert
vel historiae vel doctrinae cuiuspiam

Hh 2

fru-

fructuosissimae. Nec raro unius vulgo neglectae personae interior cognitio viam aperit ad observationes haud poenitendas. Dum igitur in eo sum, ut, quis fuerit *Theophilus* ille, cui *Historiam* suam *sacram*, duos distributam in libros, inscribere dignatus est *Lucas*, scriptor *Θεόπνευστος*, curatius inquiram, nihil moror audaciorem *Heideggeri* (a) sententiam: *Quis*, inquiringis, *Ἔ* *cujas* fuerit hic *Theophilus*, incertum est, nec scire refert. Imo vero ex iis, quae dicturus sum, apparebit, non penitus obscurum esse, quis fuerit ille *Theophilus*, nec nullum ad nos redundare hujus investigationis fructum. Ubi enim ostendero, *Theophilum* illum fuisse amplissimae dignationis virum, eundemque ethnicae addictum religioni, hinc concludere licebit, eo consilio a *Luca* historiam Christi & Apostolorum fuisse literis mandatam, ut ethnicis magistratibus mendaces de religione Christiana opiniones excuteret, mandatoque *Petri* satisfaceret, hunc in modum (b) praecipientis: *Ἐπιμοι* (ἐπε) ἀεὶ πρὸς ΑΠΟΛΟΓΙΑΝ παντὶ τῷ αἰτῶντι ὑμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος. Sane quam magni referat, scire, quo tempore & quo consilio quemque proprie in finem liber quisque Biblicus fuerit conscriptus, nemo nescit, nisi qui sacras nescit literas, nec theologorum novit labores in eo occupatissimorum, ut, quae

(a) *Enchirid. Bibl. III, cap. 4. §. 5. p. 479.* (b) *1. Petri III. 15.*

quæ proxima causa prophetam quemque & apostolum permoverit ad suam epistolam scribendam concionemve habendam, perspiciant. Quocirca non gravabor, tum quid alii de Theophilo illo senserint, tum quid de ipso pro comperto debeat haberi, paucis edifferere.

§. 2. Primo loco ii videntur audiendi, quibus in mentem venit statuere, non fuisse quendam *Theophilum* nomine, cui libros suos inscriberet *Lucas*, sed *Theophili* titulo ab eo insigniri Christianum quemque, neque adeo certum quempiam hominem a *Luca* appellari, sed quicquid est eritque in orbe Christianorum. Primus, (bb) quod sciam, istam sententiam in medium protulit *Ambrosius*, Scriptum est, inquit in *Explanatione prooemiali in Evangelium Lucae*, *Evangelium ad Theophilum, hoc est, ad eum, quem* (c) *Deus diligit. Si Deum diligis, ad te scriptum est.*

H h 3

Am-

(bb) Ante tamen *Ambrosium* jam in ea fuit *Origenes*, ut in ejus in *D. Lucam* comment. patet. T. d. H.

(c) Non alienum fuerit animadvertere, nomen Θεόφιλος ab *Ambrosio* confundi cum Θεοφιλής, Θεόφιλος idem est, ac φιλόθεος. 2. *Tim.* III. 4. & signat eum, qui DEVM amat. Sed Θεοφιλής dicitur is, qui a DEO amatur, qui DEO carus est atque dilectus. De voce Θεοφιλής copiose ac erudite disputat *Cl. Majus F. Obs. sacr. lib. I. cap. 38. p. 103. sqq.* Sic, si *Suidae* credimus, Θεομισός significat eum, qui Deum odit, at Θεομισός eum, quem DEVS odit. Pulchre discrimen hoc

Ambrosii vestigiis incedit *Salvianus*, hæc ad *Salonium* perscribens in epistola libris suis sub *Timothei* nomine editis præfixa : *Evangelista* (*Lucas*) in utroque divini operis exordio *Theophili* nomen inscribens, cum ad hominem scripsisse videatur, ad amorem Dei scripsit, hoc scilicet dignissimum esse judicans, ut ad ipsum affectum Dei scripta dirigeret, a quo ad scribendum impulsus esset. Hæc eadem sententia nec *Epiphanio* (d) displicet, quanquam non plane ei subscribit, sed rem in medio relinquit. Cæterum in triumviris his ejus farinae interpretatio fortasse ferri debet, eo quippe ævo viventibus, quo allegorica sacros libros interpretandi ratio in laude & admiratione erat. Sed *Hammondo* merito vitio damus, quod doctiore sæculo tam imbecillam sequens sententiam non timuit ita (e) scribere : *Incertum est, an hoc nomen fuerit alicujus viri proprium, an vero fictitium, ad quemlibet Christianum Dei amantem significandum, quem Lucas alloquatur.* Fortasse *Erasmi* auctoritas oculos præstrinxit *Hammondo*. Is enim in annotationibus ad exordium *Luce* : *Theophilus*, inquit *utrum sit proprium nomen, an epitheton pii lectoris, alii disputent.* Pro acumine tamen suo statim hæc addit : *Ego proprium hominis vocabulum esse puto.* Ac prior

hoc perspexit Philo, libri tertii de vita Mosis initio sic scribens: Erat Moses φιλόθεός τε καὶ θεοφιλής.
 (d) *Heresi* LI. p. 429. (e) *Annot. ad Luc.* I. 3.

rem sententiam optime Daniel Heinsius (f) confutavit, eam scribens vel solo attributo dilui. Quid enim (ita pergit,) opus, dici κρᾶτισον, quem attributo jam alio a ceteris distinxeris?

§. 3. Altera sententia majorem habet veri speciem, sed diligentius eam ubi excusseris, nec ipsi calculum, mi lector, adieceris tuum. Sunt (g) enim, qui largientes, inscriptos esse *Luca* libros certo cuipiam viro, negant, cum isto nomine uti consuevisse, sed istis de causis a *Luca* obumbrari nomine *Theophili*, hoc est, amatoris Dei verique Christiani. Sane non tam levi tibicine nititur hæc sententia, quam superior. Erant enim illis temporibus plures Nicodemi, qui Christianæ religionis divinam agnoscentes originem, non tamen sustinebant cum præsentissimo vitæ periculo, nomen suum inter Christianos profiteri. Ipse *Paulus* apostolus (h) docet, fuisse in *Neronis* Imp. aula, qui Christianæ religioni essent addicti: quorum nomina ideo videri potest prætermisisse, ne fratres istos infirmos objiceret periculo non solum amittendi honores, opes & vitam, verum etiam sanctissimam abdicandi religionem. Sunt etiam viri doctissimi, qui in secunda *Joannis* epistola nomen

Hh 4

Ele-

(f) *Exercit. sacr. lib. III. cap. 1. p. 134.* (g) Equidem neminem novi, qui hanc tueatur sententiam. Fidem tamen habeo *Casp. Sanctio*, qui *Comment. in Act. I. 1. testatur, fuisse aliquos hujus sententia patronos.* (h) *Phil. IV. 22.*

Electa non habent pro nomine proprio: ut & hic apostolus primariae foeminae nomen subtraxisse consulto videatur, quod ea mallet esse Christiana, quam haberi. Sed nos & hanc repudiamus de *Theophilo* sententiam, non solum, quod in eorum sumus numero, qui *Electa* nomen in Joannea epistola pro nomine habent proprio; sed & eam ob causam, quod ad istam interpretandi rationem confugere non licet, ubi praeter vanam conjecturam nullum ea fundamentum habet, ac praeterea nihil obstat, quo minus maxime obvium sequamur sensum, credentes, hoc viro fuisse nomen proprium. Certe *Theophili* nomen erat vetere illo aëvo usitatissimum. Plures *Theophilos* e priscis monumentis produxit Celeb. ille *Fabricius* in *Græca* sua (i) *Bibliotheca*: quibus addo *Theophilum*, Marcelli libertum, *Ciceroni* (k) memoratum; *Theophilam*, mulierem ob eruditionem singularem a *Martiale* (l) laudatam; *Theophilum*, duodecimi sæculi virum, quem in opere *de scriptoribus ecclesiasticis* (m) memorat *Tritemius*. Tres quoque *Theophilos* commemorari videas in duabus pervetustis Græcis Inscriptionibus, quas in *Itinerario* suo (n) exhibet *Jacobus Sponius*. Abunde hinc discimus, pervulgatum in Græcia fuisse nomen *Theophili*, atque adeo non esse,

(i) *Lib. V. cap. 1. §. 20. p. 94. sqq.* (k) *Lib. IV. ad Famil. epist. 9. & 10.* (l) *Lib. VII. epigr. 68.* (m) *Cap. 383.* (n) *P. II. p. 111. & 112. edit. Germ.*

esse, cur suspicemur, effectum fuisse hoc nomen a Luca, & impositum ei, qui non vocabatur *Theophilus*, at ob Christianam pietatem hoc nomine dignus erat.

§. 4. Summo itaque jure eorum (nn) approbamus sententiam, qui persuasum habent, eum, ad quem *Lucas* scripsit, gessisse a parentibus inditum nomen *Theophili*: quanquam & inter hos quidam longius, quam par erat, progressi sunt. Fuerunt enim, qui crederent, *Theophilum*, Antiochiæ episcopum, cujus ad *Autolycum* libri supersunt, a *Luca* innui, cum tamen satis constet, illum *Theophilum* secundo demum saculo Christiano eoque ad exitum vergente floruisse. Ac merito notatus hic error fuit a (o) *Tenzelio*, (p) *Caueo*, (q) *Fabricio*, & copiosius a S. R. Abbate *Schmidio* in *Historia* (r) *seculi II. fabulis maculata*. Pari jure dissensimus ab *Alexandro Moro*, qui (s) illum a *Luca* innui suspicatur *Theophilum*, cujus *Tacitus* meminit in (t) *Annalibus*. Etsi enim temporis rationem conjecturæ huic non repugnare, *Tenzelius* (u) docet, tamen merito hac sententia nihil nobis videtur audacius, cum præter nomen ne levissima quidem ratio

Hh 5 sub-

(nn) Inter eos ex veteribus eminent *August.* de *conf. Evangel.* L. IV. c. 8. & *Chrysof.* in *Act.* c. 1. (o) *Miscell. Eccl.* P. I. *Diss.* V. p. 35. (p) *Hist. lit. script. eccl.* p. 41. (q) *Bibl. Graec. lib. V. cap. I. p. 94. sq.* (r) p. 44. *sqq.* (s) In *Notis ad Luc. I. 1.* (t) *Lib. II. cap. 55. n. 2.* (u) *Loc. cit. p. 209.*

subsit, quæ suspicioni Mori patrocinetur. Immo ipse *Tacitus*, de obscurissimo homine se loqui innuens, cum *Lucæ Theophilus* fuerit vir illustris, huic opinioni adversatur, recte id & acute observante (x) *Jacobo Haseo*, viro eruditissimo mihiq̃ amicissimo.

§. 5. Alius ergo fuerit necesse est *Theophilus* ille, ad quem *Lucas* scripsit : de quo ante, quam proferamus, quæ certa esse nulli dubitamus, vanas producemus veterum quorundam fabulas. Relatum scilicet legimus in *Pseudo-Clementis* (y) *Recognitionibus*, *Petrum* apostolum *Antiochiæ* juxta cum aliis plurimis etiam hunc *Theophilum*, virum cunctis potentibus in civitate sublimiorem, in Christi castra perduxisse : quo facto neophytum hunc *domus suæ* ingentem basilicam *Ecclesiæ* nomine consecrasset, in eaque *Petro* apostolo constitutam esse ab omni populo cathedram. Ac non videtur hæc relatio rejicienda (z) *Baronio* : eademque haud dubie nixus *Platina* (a) scriptum reliquit, *Theophilum* hunc æque, ac *Lucam*, ortu *Antiochenum* fuisse. Etiam *Casp. Sanctius* (b) istam *Clementis* narrationem pro verosimili habet, & hinc, eum *Antiochiæ* præsidem fuisse, conjicit. Verum nos *Volusianis* istis falsi *Clementis* chartis merito fidem habemus nul-

(x) *Hist. Crit. de la Rep. des lettres* T. XII. p. 52. sq. (y) *Lib. X. cap. 71.* (z) *T. I. Annal. Eccl. ad A. C. 98.* (a) *In vita Urbani II. f. m. 184. b.* (b) *Loc. cit.*

nullam. Nec magis creduli sumus Lexicographo cuidam Syro, cujus verba hæc ex *Edmundi Castelli Lexico Heptaglotto* adducit (c) *Tenzelius*: *Theophilus primus credentium* & celeberrimus apud *Alexandrienses*, qui cum aliis *Ægyptiis* *S. Lucam* rogabat, ut eis *Evangelium* scriberet. Equidem *Celeb. Haseus*, quem modo laudavi, hujus scriptoris auctoritate nos stare posse (d) censet, usque dum argumentis inde dimoveamur. Sed nonne hoc ipsum satis argumenti est, quod plane non constat, quis quaque fide dignus sit ille Lexicographus. Nemini certe credendum est cœca fide, sed exploratum esse debet, & voluisse auctorem & potuisse vera dicere. Atqui neutrum de Syro illò compertum habemus. Cumque accedat mos priscae ætatis, totam historiam ecclesiasticam fictis conspurcandi narratiunculis, merito fabulis his istam narrationem aggregamus, donec confirmandæ ei idonea testimonia in apricum proferantur: id quod unquam futurum esse, justissimæ sunt nobis desperandi causæ.

§. 6. Missis igitur fabulis solus *Lucas* (nam præter eum, ut recte monent *Magdeburgici* historię ecclesiasticę (e) conditores, de hęc *Theophilo* nihil uspiam exstat, ex quo, quis aut ubi fuerit, conjectura saltim consequi liceat,) nos doceat, quis *Theophilus* suus fuerit. Fuit nimirum

(c) *Loc. cit. p. 208.* (d) *Loc. cit. p. 52.* (e) *Cent. I. lib. 2. c. 10. p. 621.*

mirum vir amplissimus, magistratum gerens
 summæ potestati proximum: (ee) id quod
 manifestissimum facit *Lucas*, appellans (f)
 eum his verbis: κράτιστε Θεόφιλε. Scilicet
 hunc principum virorum titulum esse, velex
 ipso *Luca* facile confirmatur. In ejus enim
Actis Apostolorum præses provinciæ (ὁ ἡγεμὼν)
 ter (g) salutatur κράτιστος, & ut *Lucas* dixit:
 κράτιστε Θεόφιλε, sic *Paulus*: κράτιστε Φῆσε, in-
 quit. Ac ne quis τὸ κράτιστε Θεόφιλε reddend-
 dum putet *Optime Theophile*: quem in modum
 Latinis (h) mos est, eos, quos amant ma-
 gnique faciunt, vocare *viros optimos*; obser-
 vamus non solum, *optimos viros* frequentius a
 Græcis dici (i) ἀειστος & (k) βελτιστος (etsi
 κρά-

(ee) Graeci id sane crediderunt, qui in Menologio
 suo ad d. XVIII. Oct. vocant Ἡγεμονα, quae vox
 vel belli ducem vel Praesidem provinciae vel saltem
 in magistratu constitutum denotat. T. d. H.

(f) *Luc. I. 3. (g) Cap. XXIII. 26. XXIV. 3. &*
XXVI. 25. Vide & Er. Schmidium Comment. ad pri-
imum horum locorum. (h) Sic Cicero lib. de senect.
cap. VI. honoris gratia filium Catonis appellat virum
optimum, & cap. XII. Catonem inducit ita alloquen-
tem natu minores Scipionem ac Laelium: Optimi ado-
lescentes. Laelius quoque apud Ciceronem de amic.
cap. X. Audite ergo, optimi viri. Eadem appella-
tio occurrit in Quintiliani Dialogo cap. V. 2. XIV. 4.
XLI. 7. Sed quid attinet, plura proferre testimonia
in re satis nota? (i) Ab Æliano Var. hist. lib. II.
cap. 13. Socrates vocatur ὁ ἀειστος τῶν Ἑλλήνων,
idemque iterum cap. 43. ejusdem libri Socratem annu-
 me-

κερίσον vocari talem, non plane (l) insolitum est,) sed etiam, titulum κερτίσς illo ævo fuisse proprium magistratuum eminentiorum. Respicitur enim ad originem vocabuli, κερτί-
 τσ,

merat τοῖς ἀρίστοις τῶν Ἑλλήνων. Sic & Aristoteles in præfatione libri de mundo (si modo Stagirita illius libelli auctor est,) Alexandrum M. nominat ἀριστον ἡγεμόνων. (k) Longinus cap. 39. p. 155. Terentianum suum affatur: ὦ βέλτισε. Ælianus Romanorum illud modo memoratum, Viri optimi, hunc reddit in modum lib. II. cap. 34: ὦ βέλτισσι. (l) Sic πόλις κερτίση, urbs optima, & κερτίση ἀγωγή, educatio optima, apud Plutarchum pædag. X. 2. & XI. II. Ostendit etiam Paulus Leopardus Emendat. lib. I. cap. 21. multis exemplis, Græcos eodem sensu dixisse ὁπὸ τῆς κερτίσς & ὁπὸ τῆς βελτίσς, hoc est, sincerè & optimo animo. Nec dubito Longini illud ad Terentianum cap. 34. p. 135: ὦ κερτίσει, sic reddere: ὀ optime, vel, optime adolescens. Memini quidem, Cl. Fabricio Bibl. Græc. lib. IV. cap. 31. §. XI. p. 442. ex hac appellatione concludendum videri, quod Terentianus ille temp. gesserit splendidoque præfuerit muneri. Sed hoc quidem loco τὸ ὦ κερτίσει nihil aliud significare, quam cap. 39. p. 155. ὦ βέλτισε, hoc est, o optime, non solum hic ipse παρελλήλιστος fidem facit, sed & ceteræ formulæ confirmant, quibus Terentianum alibi locorum appellat Longinus. Nam ita eum affatur statim in exordio libri: Τερεντιανὲ φίλτατε, ac paulo post p. 5. rursus eum appellat Φίλτατον, dilectissimum, itemque p. 21. 51. 103. & 153. Porro p. 7. & 15. (utor editione Langbæ-
 nii, Oxon. 1638.) ita eum affatur: Τερεντιανὲ ἡδι-
 σε,

τθ, unde & aristocratia, democratia, gynaco-
cratia, & hujus generis alia nominantur, &
ipse

π, dulcissime, suavissime; et p. 21. ὦ Φίλθ, vel, ut alii
rectius ediderunt, ὦ Φιλότης. Ex quibus formulis ma-
nifestum est, verba facere Longinum non ad virum
dignitate conspicuum, sed ad familiarem, quem habe-
bat in deliciis. Quid? cum cap. 13. p. 59. eum ita
alloquatur: ὦ νεανία, o adolescens, ac cap. 1. p. 8.
fateatur, se Terentiani in gratiam hunc de altitudine
styli (Sic enim Græcam inscriptionem ὦ φίλος
converto ex Quintiliani dial. cap. XVIII. 3. XXI. 7.
& XXXI. 8.) libellum composuisse, prætereaque
eundem subinde sic affetur; ἑταίρε, amice, p. 5. 33.
& 35. hinc non absurde colligo, Terentianum fuisse
Longini discipulum. Certe a doctoribus olim discipu-
los appellatos fuisse ἑταίρους, constat inter doctos, &
exemplis confirmatur a Scheffero lib. de philos. Ital.
cap. XI. p. 98. & 99. Cl. Major F. Obs. sacr. lib. I.
cap. 4. Lamb. Bosio in Animadversionibus ad scrip-
tores aliquot Græcos cap. 24. p. 99. Probatum jam
satis, opinor, est, τὸ κρητισυός nonnunquam exponi
debere per optimus. Eodem hoc sensu exponi debere
existimo, cum Hermogenes initio libri tertii ὦ φίλος
εὐρέστων sive de inventione oratoria M. Julium sic
alloquitur: ὦ κρητισε Ἰδλιε Μάρκε, item cum apud
Epiphanium T. I. p. 540. & 560. dicitur: ὦ κρητι-
σε Θεόφιλε, (non κρητισε sine ἰὼ ὦ,) ad quem eun-
dem hoc p. 590. exstat alloquium: ὦ Θεόφιλε. Cae-
terum esse hunc eundem Theophilum, cui Hippolytus
inscripsit suum de Antichristo librum, suspicatur Fa-
bricius in not. ad Hippolytum p. 4. & in Addendis
ad Bibl. Græc. lib. V. cap. I. p. 337. Quæ conjectura
quan-

ipse DEVS a veteribus vocatur (m) κρείττων, imo in univcrsum potentes in civitate dicuntur (n) οἱ κρείττορες. (m) Quod dixi de titulo prima-

ma-

quanti sit habenda, viderint alii. Redeo ad vocem κρείττος, quatenus ea signat virum optimum, adjicioque unum hujus notionis exemplum idque memoratu dignissimum. Scilicet Arrianus lib. VII. testis est, Alexandrum morti proximum quærentibus, cui relinqueret regnum, respondisse: τῷ κρείττω. Hoc ita Curtius X. 5. 5. reddidit: ei, qui est optimus. Recte. Nam Diodorus Siculus idem narrans lib. XVII. cap. 117. & lib. XVIII. cap. 1. destinatum a rege successorem hic τὸν κρείττον vocat, illic τὸν ἀρίστον, atque ita luculente docet, eandem hic utriusque vocis vim esse. Ac huc respexisse Plinius videtur, cum in Panegyrico cap. VII. (al. cap. X. n. 7.) scribit, eum debere successorem Imperatoris constitui, qui sit optimus ac diis simillimus. Ac nugæ agit profecto Jac. Nicolaus Loënsis, cum Miscell. Epiphyl. lib. V. cap. 18. contendit, ultimam Alexandri vocem non debere reddi optimo. sed potentissimo.

(m) Sic Ælianus Var. Hist. III. 1. Numen supremum vocat τὸν κρείττον, quod & Athanasius facit, cujus locum producit Suicerus in Thesauro eccl. v. κρείττων. Pluribus veterum locis hoc loquendi genus confirmat Lamb. Bosius lib. cit. cap. XV. p. 67. & cap. XVII. p. 72.

(n) Ab Herodiano VII. 3. II. οἱ κρείττορες, potentiores, opponuntur plebi & vulgo civium. Sic & Plutarchus de educ. lib. cap. XIX. 4. vetat nos ducere uxores κρείττους ἡμῶν, hoc est, nobis nobiliores & potentiori ortas familia. Nec rara hæc est notio in monumentis scriptorum ecclesiasticorum, e quibus exem-

mariis magistratibus tribui solito, id illustribus confirmari oportet exemplis.

§. 7. Quæ mihi (o) observata sunt, hæc habe, amice lector. Exstat in Sponii Itinerario (p) vetusta Græca Inscriptio, in qua *Senatus civitatis Thyatiræ* vocatur ἡ κερπίση Θυαλεισηνῶν βασιλῆος der hochmögende Rath zu Thyatira. Eundem titulum consulibus Romanis inditum fuisse, ex *Dioscoridis* medici præfatione librorum *de natura medica* discimus, quippe in qua consulis Licinnii Bassi meminit his verbis: ἡ τῆς κερπίσης Λικιννίου Βάσσης διάθεσις. Quid? quod Imperatores Romani hoc insigniti titulo sunt, ut augustam esse hanc appellationem, dubitari non possit. Certe *Cyrillus Alexandrinus* initio ope-

exempla plura exhibet Suicerus lbc. cit. Etiam Plautus Cap. III. 4. 51. miserae plebi opponit bonos, id est, fortunatos homines, qui opibus ac honoribus florent. Et quis nescit, optimates a Romanis dictos esse, qui potentia nobilitateque in civitate eminebant?

(nn) Jam olim ita Reges dicti, ut patet ex Homero Il. α. v. 80. Κρείστων γὰρ βασιλεὺς, ὅτε χωστῆαι ἀνδρὶ χερσὶ. Et ἀριστος notat potentissimum apud eundem Il. α. v. 91. Ὅς νυνὶ πολλὸν ἀριστος ἐνὶ στρατῷ εὐχέλαι ἐίναι. Ita bonum atque ἀγαθὸν significare hominem divitem & potentem annotavit in *Parergis* p. 204. Cl. Hombergius. T. d. H.

(o) *A Menagio in Amoenit. Jur. civ. cap. XVI. idem pluribus confirmari exemplis, itemque a Pancirollo in Variis Lætionibus, legere me memini. (p) P. I. p. 104.*

operis contra Julianum Imp. Christomastigem editi his usus est (q) verbis : ἔχων ἐνφυσῶ τὴν γλῶτταν ὁ κρείττος Ἰουλιανὸς, κατέδηξεν αὐτὴν κατὰ τῆ πάντων ἡμῶν σωτῆρ Χριστῷ. Parimodo *Pilatus* in subdititia ad *Tiberium* epistola, quam *Cl. Fabricius* exhibet in *Codice N T.* (r) ἀποκρυφῶ, Imperatorem hunc in exordio bis appellat κρείττον, quod recte Latinus interpres vertit potentissimum. Sic & *Dio Chrysostomus* Orat. XLVIII. Varinum, quem ἡγεμόνα fuisse p. 535. indicat, p. 530. appellat κρείττον. Etiam in fragmento *Pseudo-Democriti*, quod primus edidit (s) laudatus modo *Fabricius*, hoc (t) legitur alloquium : Κρείττε καὶ μέγιστε ἀνλοκράτορ, quod recte interpretatus est *Rendtorfius* : *Potentissime & maxime Imperator.* Sic & *Josephus* in fine Ἀρχαιολογίας, itemque in præfatione librorum contra *Apionem* scriptorum, *Epaphroditum*, principem amicorum utriusque *Neronis*, (nam & *Domitianus* dictus fuit alter *Nero*,) κρείττον appellat, hoc est, vt hodie loquimur, *virum illustrissimum atque excellentissimum.* *Artemidorus* (u) quoque *Cassium Maximum*, virum illustrem, appellat τὸν κρείττον Κάσσιον Μάξιμον. Nec inepte proinde suspicamur, etiam *Diognetum* fuisse virum maxima dignitate effulgentem, ad quem *Justini Martyris* adhuc existat epistola, in qua

Class. IV. Fasc. III. Ii eum

(q) p. 3. edit. Lips. (r) P. III. p. 456. sqq. (s) Bibl. Gr. lib. IV. cap. 29. (t) p. 334. (u) Lib. IV. de somniis p. 197.

eum salutatur *κράτιστον*. Vides, lector erudite, fatis firmo niti fundamento sententiam nostram, quae & *Bezæ* est, *Grotii*, *Erasmi Schmidii*, *Jo. (α) Gerhardi*, *(β) Dorschei*, *Sanctii*, *(x) Cavei*, *(y) Fabricii*, aliorumque, iamque olim *Theophylacti*, in proœmio in *Lucam* *(z) Theophilum* nostrum vocantis *συγκληρικὸν ἀνδρα καὶ ἀρχοντα ἴσως*, *virum senatorium ac fortasse magistratu fungentem*, adjicientisque, titulum *κράτιστε* usurpari ἐπὶ τῶν ἀρχόντων καὶ ἡγεμόνων. Quare *Vulgatus* interpretes, *Erasmus*, ac *Vatablus* minus recte verba *Lucæ*: *κράτιστε Θεόφιλε*, sic reddiderunt: *Optime Theophile*, quibus *Lutherum* adjungimus, qui sic vertit: *Mein guter Theophile*. Rectius *Versio Belgica*: *Voortrefelycke Theophile*. Rectissime *Versiones Gallica & Anglicana* reddiderunt per *virum excellentissimum*, *Eure Excellenz*. Illa enim: *Tres-excellent Theophile*; hæc: *Most excellent (α) Theophilus*.

§. 8. Cæterum non præteribo, quod unum obstare huic sententiæ videri possit, ac probare, τὸ *κράτιστε* hic non transferri debere *Vir Excellentissime*, sed *vir optime*. Scilicet & altero loco, *Historiæ apostolicæ* (a) initio, *Lucas* vide-

(α) *Comm. in Acta Apost. p. 6.* (β) *Comment. in Lucam p. 579.* (x) *Hist. lit. script. eccl. p. 17.* (y) *Bibl. Gr. lib. IV. cap. 3. p. 90. not. & cap. 5. §. 4. p. 135.* (z) *p. 293.* (α) *Angli etiam Regem suum salutant the most excellent Monarch. Vid. Miegi Gross Britanischer Staat P. I. cap. 25. p. 849. edit. Lips. (a) Act. 1. 1.*

detur *Theophilum* suum hoc titulo insigniturus fuisse, si is fuisset priore loco titulus honoris. Eoque minus is omittendus fuisse videtur a longe inferioris vel potius nullius in civitate dignitatis scriptore, quod *Paulus* (b) hoc dedit præceptum : *Ἀπόδοτε πᾶσι τὰς ὀφειλάς, τῷ τὴν πρῶτην, τὴν πρῶτην.* Certe non est mihi dubium, quin hac re permotus *Sanctius* Jesuita (c) ex eo, quod *Theophilo* titulus *κεγεννης* non iterum fuit tributus a *Luca* in *Actis apostolorum*, concluderit, *Theophilum* post suscepta Christianorum sacra munere se suo abdicasse, adeoque splendido illo titulo non amplius potuisse decorari. Nec alia fortasse de causa suspicatus est (d) *Augustinus*, alium esse *Theophilum* in *Actis* memoratum ab eo, cui inscriptum est *Evangelium*. Verum enimvero non est stylus illius ætatis judicandus ex nostri ævi moribus. Vel ex *Ciceronis* *epistolis* cognosci potest, illo tempore vel summos in rep. viros appellatos fuisse solo suo nomine. Idem *Cicero* in orationibus *Cæsarianis*, quas vocant veteres *Grammatici*, hoc est, in tribus illis, quas *pro Marcello*, *Ligario*, ac *Deiotaro* habuit, prope centies *Julium Cæsarem* appellat, nec unquam tamen, nullo licet adulandi genere omisso erga eum, summa, id est, regium potestate orbem Romanum regentem, aliter eum affatur, quam hoc modo : *Cæsar*,

li 2

vel

(b) *Rom.* XIII. 7. (c) *Comm. in Act.* I 1,

(d) *Lib. IV. de cons. Evang. cap. 8.*

vel C. *Cæsar*. Unum exemplum producarn
 ex oratione pro *Deiotaro*, in cujus quarto capite
 hæc exstant: *Ignosce, Cæsar, si ejus viri auctori-*
tati rex Deiotarus cessit: pro quibus hodie ita
diceremus: Ignoscat Majestas tua, Augustissime
atque Invictissime Cæsar, quod Serenissimus ac Po-
tentissimus Rex Deiotarus, cætera. Scilicet
 non eadem omnibus temporibus sunt hone-
 sta atque turpia, decora atque inurbana. Ipse
Lucas noster (e) testatur, regem *Agrippam*
 & a præside *Festo* & ab apostolo *Paulo* pro
 illius ævi simplicitate sic fuisse appellatum:
Αγρίππα βασιλεῦ. Ac in *Xenophontis* libro de
 regno *Simonides* regem *Hieronem* nunquam
 affatur aliter, (affatur autem persæpe,) quam
 hoc modo: ὦ Ἱερω, *mi Hiero.* Pariter apud
Ciceronem (α) *Lysander* regem *Persarum*, *Cy-*
rum, sic compellat: *Recte vero te, Cyre, bea-*
tum ferunt, cætera. Nolo coacervare plura,
 ne molestus sim iis, quibus hæc sunt e le-
 ctione veterum notissima.

§. 9. Hactenus pluribus confirmavimus,
Theophilum fuisse virum in eminenti dignita-
 tis gradu positum, sive virum consularem,
 sive præsidem provinciæ, sive magistratum
 alium. Ubi autem is vixerit, non est, unde
 ostendamus. Quod enim fabula vulgi eum
Antiochenum fecit, ejus rei hæc esse
 causa videtur, quod *Lucam* ejus civitatis fu-
 isse

(e) *Act.* XXV. 24. & XXVI. 2.

(α) *lib. de senect.* cap. 17.

isse, vetus (f) nec forsitan falsa fama est.
 Æquum igitur judicabatur, historiam sacram à
Luca inscribi suæ civitatis rectori & patriæ patri.
 Sed quam lubricum hoc sit fundamentum,
 qui non videt, is nihil omnino videt. Duo
 tamen supersunt, quæ mihi videntur comper-
 ta habenda esse de *Theophilo*, quia satis per-
 spicue deduci possunt ex nostro *Luca* loco,
 nempe, *Theophilum* fuisse ethnicum, adeoque
 Historiam sacram ideo esse ad eum a *Luca*
 missam, ut vicem præstaret apologiæ, de-
 monstraretque, non esse falsam religionem,
 quam profiteantur Christiani, sed esse eam
 irrefragabilibus munitam divinitatis argumen-
 tis. Fuisse autem *Theophilum* nostrum ethni-
 cum, haud difficulter evinci posse puto.
 Nam præsides provinciarum, cæterosque
 magistratus, Imperatorum, a quibus consti-
 tuti erant, religioni addictos fuisse, in con-
 fesso est apud omnes. Quare cum & *Theo-*
philus noster haud dubie fuerit ethnicus, cum
 ad hunc dignitatis gradum promotus fuit, eum
 ethnicis sacris abjectis factum esse Christia-
 num, non temere credi debet, sed exacta
 affirmatione probandum est. Primo enim
 per se difficillimum est, ex avitæ religionis
 tenebris in lucem veritatis emergere. Dein-
 de quo quis splendore opum honorumque
 majori circumfunditur, eo minus solet de
 religionis veritate philosophari, sed majorum

li 3

placi-

(f) *Hieronimus Catal. script. eccl. cap. 7.*

placita secure retinet ac fortiter propugnat. Denique si vel maxime *Theophilus* sensisset secum, religionem Christianorum esse religionem vere divinam, tamen non palam videtur discessurus fuisse a patrio deorum cultu, cum professio religionis Christianæ esset conjuncta cum præsentissimo periculo vitam pariter cum dignitate bonisque omnibus amittendi. Iterum igitur dico, non credi debere, *Theophilum* fuisse vere θεόφιλον, hoc est, Christianum, nisi id perspicuo ostendatur argumento. Atqui tale nullo pacto potest afferri. Præter *Lucam* enim nemo scriptor exstat, qui de *Theophilo* nostro quicquam memoriæ prodiderit. *Lucas* vero haud sane dicit, eum fuisse Christianum, imo tacens dicit, Christianum non fuisse. Quippe nec in alloquiis ad eum suis mentionem facit ejus ad Christianorum sacra transitus, (quod tamen fieri par erat, & facere solet in epistolis suis *Paulus*, *Lucæ* doctor,) nec ei apprecatur divinam gratiam ad subinde capienda in fide virtuteque Christianâ incrementa.

§. 10. Videor quidem mihi objicientes audire, quod *Lucas* (g) scribit, *Theophilum doctrinas Christianas edoctum esse*. ἵνα ἐπιγνώσῃ, inquit, περὶ ὧν κατηχήθη λόγων τὴν ἀσφάλειαν. Equidem fateor, τὸ καληχεῖν per frequenter usurpari de doctoribus alios in religione Christiana instituentibus, ac hujus generis tiro-nes vocitari catechumenos. Sic *Apollo* ille in

Actis

(g) *Luc. I. 4.*

Actis Apostolorum (b) dicitur fuisse κατηχημένον τὴν ὁδὸν κυρίου, hoc est, a doctoribus apostolis vel evangelistis traductus ad religionem Christianam. Eodem modo *Paulus* auditoribus sacram habere concionem vocat (i) κατηχῆν ἄλλας. Nec vero propria hæc notio est ac perpetua. Ipse *Lucas* noster nos doceat, generaliori sensu τὸ κατηχεῖσθαι interdum capi, & cum sequitur vox περὶ, signare famâ aliquid cognoscere. Quem igitur in modum *Actor. XXI. 21.* hæc verba: κατηχήθησαν περὶ σοῦ, ὅτι ἀποστολίαν διδάσκεις ἀπὸ Μωσέως, recte sic interpretati sunt *Vetus interpres & Vatablus*: *audierunt de te, quod defectionem docens a Mose*: eodem loco *v. 24.* ista verba: ὧν κατήχηνται περὶ σοῦ, ἃ δὲν ἔσθιν, hunc in modum fuere reddita: *quæ de te audierunt, falsa sunt*; sic hæc exordii *Evangelii Lucæ* verba: ἵνα ἐπιγνώσῃς περὶ ὧν κατηχήθη λόγῳ τὴν ἀσφάλειαν, hunc omnino sensum habent: *ut cognoscas veritatem eorum, quæ de Christo ejusque miraculis, itemque de Christianis, pervenerunt ad aures tuas.* Quod si quis verius similius existimet, *Lucam* opus suum sacrum inscripsisse homini Christiano, is velim recorderetur, & alios priscae ecclesie doctores de religione Christiana commentarios exarasse ad magistratus ethnicos, eosque veram Christianæ religionis originem & indolem edoce-

li 4

re

(b) *Cap. XVIII. 25. Conf. Suicerus Thes. eccl. v. κατηχέω.*

(i) *I. Corinth. XIV. 19. & Gal. VI. 6.*

re conatos esse. Sic *Quadratus* & *Aristides* (k) ad Imp. Hadrianum, *Justinus* Martyr ad Antoninum Imp. *Cyprianus* ad Donatum, *Theophilus* Antiochenus ad Autolyicum, omnes ethnicos, scripserunt apologeticos libros, in quibus veriora docuerunt eos, qui foedissimis mendaciis de Christo Christicolisque fuerant onerati.

§. II. Cum igitur nulla causa nobis sit credendi, *Theophilum* fuisse Christianum. sed veri simillimum sit, eum magistratum fuisse ethnicum, hinc pronò sequitur alveo, ei traditam a *Luca* esse historiam Christi & apostolorum tanquam apologiam Christianæ religionis. Ac videtur *Theophilus* non fuisse cœcus Christiani populi hostis, sed, quam laudem Sergio Paulo tribuit (l) *Lucas*, ἀνὴρ εὐετὸς, iudex æquus, utrique parti æquas præbens aures. Comparaverim eum haud immerito *Plinio* juniori, qui, etsi ethnicus nec unquam Christianus, tamen benignius sensit de Christianis, nec omnem cæterorum ethnicorum more in eos expromisit crudelitatem. Nec vero omnium prima solum hæc est (m) apologia

(k) Testis est *Hieronymus Catal. script. eccl. cap. 19. & 20.* (l) *Act. XIII. 7.*

(m) Apologiam Sanctissimæ fidei nostræ hoc *Lucæ* scriptum esse observavit quoque pulcherrimæ *Harmonix Evangelicæ* scriptor *Fr. Buymannus* p. 260.

logia pro Christiana religione, quam *Theophilo* inscriptam edidit *Lucas*, sed etiam omnium optima ac sapientissima. Quomodo enim melius defenditum poterat Christiana religio, quam simpliciter enarrando facta Christi & apostolorum, quæ illo tempore innumeris testibus *αὐτόπταις* & *ἀντηκόοις* confirmare promptissimum erat? Atque hæc dicta sunt de *Theophilo*.

li 5

IV.

260. Et meo quidem iudicio recte, eum, sive *Theophilus* fuerit *Judæus*, sive *Christianus*, sive *ethnicus* ad eum percommode tanquam *Virum Illustrem*, tale scriptum apologeticum potuerit allegari. T. d. H.

THEODORI HA-
SAEI,
ad praecedentem de
THEOPHILO,
dissertationem
SICILIMENTUM.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Theophili nomen vulgare fuit. Id decetur ex inscrip-
tionibus §. 1. Alii Theophili inter ethnicos §. 2.
Inter Christianos, praecipue Graecos §. 3. 4. 5. In-
ter Judaeos. Quorum in numero est Theophilus,
Pont. Max. §. 6. Hunc esse Theophilum Lucae non
improbabile est. Convenit enim (α) nomen (β)
Titulus *καθ' ἑαυτοῦ*, (γ) Tempus. §. 7. (δ) Locus.
Hierosolymis Lucas Evangelium suum scripsit. §. 8. 9.
Occasio, quae data est illi ut hoc inscriberet
Theophilo. §. 10. Phrasis, *κατηχεῖσθαι περὶ τὴν*
illustratur. Locus Plutarchi. Catechumeni sunt *Audien-*
tes §. 11. Illa (ε) quae Lucas habet reliquis Evangelistis
intacta idem videntur indicare §. 12. 13. *Κεγεννησθαι*
an recte vertatur *Optimus* §. 14. Datum hoc nomen
provinciarum Praesidibus, quales erant Felix & Fe-
stus §. 15. Qui καὶ ἐξ ὀχθῆν a S. P. Q. R. ita dicti
§. 16. Non tamen inde sequitur Theophilum non po-
tuisse esse Christianum. Lucae enim aetate com-
plu-

plures primariae dignitatis homines Christiani erant §. 17. Inter illos quoque fuit *Pomponia Graecina*, memorata Tacito. Christiana religio habebatur *superstitio* §. 18. & quidem *externa* §. 19. Probatur id ulterius §. 20. Conclusio §. 21.

§. 1.

Recte observatur antecedentis disquisitionis elegantissimae paragrapho tertio nomen *Theophili* usu tritum fuisse. Liceat nobis Catalogum eorum, qui illo insigniti fuere, quem J.A. Fabricius atque Heumannus, summi Viri, exhibere, aliquantum locupletare. Ordinemur a Romanis atque ethnicis, tum progressuri ad Christianos, praecipue, Graecos, denique, num & tales inter Judaeos fuerint, investigaturi. Inter illos, qui a vero Dei amore, cultuque alieni erant, multos tamen Dei amantes, i.e. Theophilos dictos vel solae abunde docent veterum lapidum inscriptiones. Ita apud Gruterum fit mentio Q. Cornelii *Theophili* pag. 41. n. 1. P. Rubrii *Theophili* Paedagogi p. 585. n. 12. M. Cincii M. L. *Theophili* p. 650. n. 8. Julii *Theophili* peculiaris pag. 706. n. 16. J. Julii *Theophili* p. 795. n. 5. Q. Sex. Avidi. Sex. L. *Theophili* p. 962. n. 12. Q. Calidii Q. Q. *Theophili* p. 966. n. 5. L. Domitii *Theophili* p. 994. n. 4. M. Terentii A. L. *Theophili* p. 997. n. 6. Apud Reinesium occurrit A. Cardicius *Theophilus* Cl. 1. n. 106. *Theophilis*

letis medici meminit inscriptio apud Gruterum p. 635. n. 6. Feminis quoque hoc nomen datum esse ex ἐπιγραφαῖς apud eundem colligimus, ubi Pactumeja *Theophila* pag. 883. n. 7. & Fabia *Theophila* pag. 871. n. 1, commemorantur.

§. 2. Praeterea inter Archontes Athenienses Olympiadis CVIII. anno primo numeratur Theophilus. *Theophilum* Consularem Syriae à Gallo Caesare furenti populo Antiochenfi objectum, ab eoque discerptum narrat Ammianus L. XIV: c. 7. *Theophili* Philosophi opus περὶ καταρχῶν πολεμικῶν Graece extare Romae in Bibliotheca Pontificia testatur Gesnerus. Ex *Theophili* cujusdam libro περὶ λίθων quaedam adducit Plutarchus in libro de fluminibus, editionis Tolosanae p. 84. *Theophilo* cuidam epistolas inscripsit Libanius, quae inter illas, quas edidit Franciscus Zambicarius locum 9. & 24. obtinent. *Theophili* cujusdam commentarium in Hippocratem in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi MSSum latere, ex Montfauconii diario Italico p. 16. didici. Non dubito quin ille sit notus ille medicus hujus nominis, cujus opuscula de urinis & pulsibus passim extant. Fortassis quoque ab hoc haud alius est, ille Theophilus, qui βραχυλογώτατος dicitur in Codice MSSto quem possidet, illustris Uffenbachius, ut ex ejus Bibliothecae MSStorum Indice p. 536. disco quae

que in Hippocratis aphorismos scripsit Commentarios.

§. 3. Sed magis hoc nomen invaluit inter religionis Christianae confessores, quorum praecipuos, prout se in adversariis meis offerunt, nulla temporis habita ratione, veluti per saturam exhibebo. *Theophilus* primus Gothorum episcopus, Ulphilae decessor adfuit Concilio magno Nicaeno. *Theophilus*, Episcopus Beneventanus, interfuit concilio Romano habito a. 313. Alteri concilio Romae quoque habito a. 761. nomen suum subscripsit *Theophilus*. S. R. E. humilis presbyter tituli S. Sabinae. *Theophilus*, Trajanopolitanus sacerorum Praesul in exilium missus fuit post concilium Sardicense a. 348. De *Theophilo*, scholastico, Cappadoce, martyrium passo sub Diocletiano vide Martyrol. Rom. ad d. VI. Febr. & Suriacta sanctorum T. I. De *Theophila*, virgine Nicomediensi miris modis e tyrannide Maximiani erepta acta martyrum passim loquuntur. *Theophilus* Comes S. confistorii ab imperatore Justiniano ad Theodosianum Codicem compingendum ordinatus fuit. *Theophili*, Zacynthi Episcopi, a Michaele Imp. Constantinopolitano Romam ad Papam Nicolaum missi in ejus vita meminit Anastasius. Idem in vita Constantini Papae mentionem facit *Theophili*, Patritii extratici caravisanorum, vel ut Baronius legit, strategi Curavisanorum, qui in insula Caea Con-

Constantino iter Byzantium facienti occurre-
rit. *Theophili*, monachi, qui tempore Leo-
nis Isaurici imaginum cultum defendit, neque
pauca ob eundem passus est, memoriam Grae-
ci colunt post. Kal. Octobris. Magnus ea-
rundem patronus fuit *Theophilus* Ephesinorum
Episcopus, de quo consule Baronium ad a.
C.816.c.41. Ex adverso earum cultui restitit
fortiter *Theophilus* alius, Metropolitā Nacoliae,
de quo ad annum C. 727. vide Baronium.

§. 4. Quis porro nescit *Theophilum*, Mi-
chaelis Balbi filium, Michaelis Patrem, qui
inde ab a. Christi 829. ad a. 842. imperio
Constantinopolitano praefuit? *Theophili* Cal-
ligraphi, ejusque librorum contra Severum
scriptorum meminit Photius in Bibliotheca
cod. 231. Hic Photius a. 859. *Theophilum*,
Amorii Episcopum una cum aliis ad Nicola-
um Papam ablegavit auctore Niceta. Idem
quoque refert *Theophilum*, Protospatharium,
impurum hominem, ludibrii causa ad sedem
Patriarchalem Constantinopolitanam a. 862.
ab Imp. Michaele evectum. *Theophili* Ἰνδοῦ
βυτῶν ingravescente aetate martyrii coronam
sub Decio adepti meminit Nicephorus L. V.
c. 21. & Euseb. Hist. eccl. L. VI. c. 33. & G.
Syncellus in Chronogr. p. m. 369. De *Theo-
philo* Indo, Adiabeno, miraculis etiam claro,
a Constantio Imp. in Indiam atque ad Aethi-
opes misso consule Suidam, Nicephorum
Hist. Eccl. L. IX. c. 18. & 19. & Philostor-
gium

gium in Hist. E. L. II. c. 6. L. III. c. 4. L. IV. c. 7. & 8. & L. VIII. c. 2. & Sand. in hist. eccl. L. II. p. 193. Alius *Theophili* Episcopi Libyae ab Imp. Constantio multati exilio, quod Synodo Constantinop. a. 359. nollet subscribere, mentionem facit Philostorgius L. VII. c. 6. & L. V. c. 4. *Theophili* ἡ σοφωτατῆς dicti meminit Chronicon Paschale sive Alexandrinum. *Theophilum* τῆς ἐν Καταβαλοῖς ἐκκλησίας προσαντα ab Arianis sede sua remotum fuisse narrat Niceph. L. IX. c. 45. Ejus quoque meminit Theophanes in Chronogr. p. 48. & Socr. Soz. L. IV. c. 11. de *Theophilo* Cilice, adversario suo conqueritur Basilius in Epist. ad Theodotum ep. 196. qui & *Theophilo* Episcopo inscripsit epistolam. 309. Inter episcopos Alexandrinos non solum *Theophilus*, qui sub initio saeculi quinti floruit, illustris est, sed & alius ejus nominis eandem cathedram ab a. 1002. ad a. 1032. tenuit, qui & Philotheus dictus est. Solent & Æthiopes diem XVIII. Octobris celebrare dicatum memoriae *Theophili*, Patriarchae Alexandrini, quem numero vicesimum tertium facit, & *cycli Paschalis compositorum* appellat Kircherus in supplem. Prodr. Copt. p. 520. quamquam ejus Wanslebius in catalogo Patriarcharum Alexandriae non meminit. *Theophili* patricii martyris Theophanes in Chronogr. meminit p. 456.

§. 5. *Theophilum* aliquem, quem κρατιστον vocant, commemorant Methodius & Proclus

clus apud Epiphanium Opp. T. I. L. II. contra haer. pag. 540. 560. 590. Hunc non alium esse ab illo Theophilo, cui suum de Antichristo librum inscripsit Hippolytus, suspicatur praestantissimus ejus editor J. A. Fabricius. *Theophili Adanensis Oeconomii poenitentiam & conversionem a. C. 835.* scriptam ab Eutychemo ejus famulo & clerico Adanensi MS. memoratur apud Lambecium VIII. p. 75. Latine quoque exstat apud Surium & Bollandum cum paraphrasi metrica Marbodi episcopi Redonensis, cujus quoque operibus cum Hildeberto Par. 1708. editis adjuncta est. Vide Bibl. Gr. Fabricii T. IX. p. 149. In MSSis Bibliothecae Bodlejanae, n. 3781. occurrit S. *Macarii itinerarium usque ad Paradisum terrestrem, s. de vita ejus & conversatione per THEOPHILUM, Serginum, Chinum (lege Hyginum) monachos.* Auguror hunc librum esse eundem, qui sub nomine *Vitae S. Macarii* exstat apud Rosweydam in vitis Patrum p. 224. Inter Codices manu exaratos Bibliothecae Cottonianae occurrit *actus Theophili, qui Christum negavit & recuperavit.* Generus in Bibliotheca videtur hujus libri alium titulum exhibere, quem in membrana exstare scribit. *THEOPHILI publica poenitentiae satisfactio, qui Christum abnegavit & veniam S. Mariae virginis impetrare promeruit.* Idem *Theophilum* quendam pulcherrimum de vitrificatoria librum conscripsisse auctore H. Cornelio Agrip-

grippa refert. Adducit quoque *Theophili* monachi L. III. primum de *temperamentis colorum*, secundum de *ratione vitri*, tertium de *fusoria* & *metallica*, qui apud G. Agricola in pergamenis exstet, ut & Lipsiae, quo ex Bibliotheca (a) Cellae, veteris monasterii fuerint translati. THEOPHILI Palaeologi insignem virtutem, quam in obsidione atque expugnatione Constantinopoleos exhibuit, passim celebrant, qui illius historiam memoriae prodiderunt. Sed de his satis. Uberior ac luculenta magis Theophilorum exstaret historia, si illam, promissis suis stantes singularibus dissertationibus illustratam exhibuissent clarissimi Viri Humfredus Hodius, *ἡν ἐν μακαρισ.*, & Wilh. Schelguigius, in Athenaeo Gedanensi Professor meritissimus, quem, ut fidem suam quam primum liberet, rogamus publice.

§. 6. Neque inter (b) Judaeos hoc nomen
 Cass. IV. Fasc. III. K k

(a) Hujus coenobii incluti, in Misnia historiam singulari volumine illustravit Antiquitatum ruspator solertissimus Christ. Schlegelius, edito Dresdae, 1703, 4. ut monui in *supplem. ad Sagittarium* p. 543.

(b) Judaei hoc nomine videntur expressisse τὸ Ἰοφίλ, ex 2. Sam. XII: 25. petiit. Quamvis haec vox potius significet Θεοφίλον, a Deo amatum, quam Θεόφιλον Dei amatorem; sicut eadem etiam vulgo interpretari solent nomen celebris inter eos

men prorsus ignotum fuit. Josephus hujus nominis viros tres illustres exhibet. Nempe A. J. L. XVII. narrat Herodem magnum in locum foci ejus Simonis Boethi filii suffecisse Matthiam, Hierosolymitanum genere, paulo tamen ante mortem ab eodem officio suo depulsum. Hunc autem scribit filium fuisse THEOPHILI. Hic cum aetatem Salvatoris nostri antevertit, non is potuit esse, cui librum suum inscripsit Lucas. Distinguendus autem probe est ab alio Matthia, pariter THEOPHILI filio, qui in summo pontificatu surrogatus est Jesu Gamalielis filio, ab Agrippa rege, & quo Pontifice triste illud bellum Judaicum exarsit, cujus meminit Jos. A. J. L. XX. c. 8. §. 17. Num hic Theophilus, Matthiae Pater, fuerit idem cum THEOPHILO, Ananis sive Hannae filio, Cajaphae affi-

ne,
 eos PHILONIS. Illud autem Jedidia Judaei Germani reddiderunt גאטליב vel גוטליב Gottlieb / i. e. Theophilus, quamquam in R. Simchae ben Gerson ס' שמות, cujus excerpta exhibet in Bibliotheca sua Ebraica celeberrimus J. C. Wolfius, pag. 32. vocem hanc explicent אוהב טוב, amans bonum. Patet id ex exemplo R. Jedidiae filii Abrahami, alias filii Israelis, Lembergensis, cujus exstat שיר ירדות qui se vocat גוטליב, ut & ירדיה המכונה גוטליבא Jedidia cognomine Gottlieb, cujus mentio fit in Catalogo incomparabilis Bibliothecae Uffenbachianae, insigni bono publico nuper admodum edito p. I. pag. 2. Ex quo simul colligas recentiori etiam aetate nomen Theophilorum inter Iudaeos non evanuisse prorsus. T. d. H.

ne, (ejus enim sororem hic habuit in matrimonio) cui Vitellius Pontificatum fratri ejus Jonathae ademptum, obtulerat, narrante Josepho L. XVIII. c. 7. quod factum circa annum c. 39. non habeo dicere, quamquam prae fracte negare non ausim. Hoc certius est, eum Pontificatum non diu tenuisse, cum quadriennio circiter elapso circa a. 43. imperante Claudio ab Agrippa pontificatu illo rursus esse dejectum, successore ipsi dato Simone Boethi filio, testetur idem Josephus L. XIX. c. 5.

§. 7. Quid si vero hunc *Theophilum*, summum Judaeorum sacerdotem diceremus illum esse, ad quem libros suos divinos allegavit D. Lucas. Venit illa suspicio mihi his diebus in mentem. *Nomen enim* (α) *idem est. Titulus* (β) *ἡς κρείττους*, qui Viris in dignitate atque honoribus positus magistratumque gerentibus dabatur, cui conveniret aptius, quam summo sacrorum inter Judaeos praefecto, dignitate atque auctoritate inter illos maxime eminenti? Neque (γ) *tempus* abludit, Imperante enim Claudio vixit hic Theophilus, pontificatumque adeptus est, ast eodem tempore, anno sc. post Christi mortem XV. Lucam Evangelium suum consignasse literis, vulgaris maxime opinio est. Quamquam autem ego non in ea quidem sententia sim, sed id factum esse anno Neroniano circiter IV. aerae Christianae LVIII. putem, tamen

unusquisque videt hunc annum vivendo attingere potuisse Theophilum nostrum, cum plurimorum sit opinio diu adhuc postea imminente excidio Hierosolymae superasse Hannam Theophili Patrem.

§. 8. Quod adtinet (*δ*) *locum*, in quo uterque vixit, constat non Theophilum hunc solum, sed & Lucam in Judaea fuisse commoratos: Praeterea valde mihi fit verosimile, Evangelistam Hierosolymis Evangelium suum consignasse literis, illo tempore, quo in hac urbe & Caesareae in vinculis detinebatur ejus Achates D. Paulus. Idque ante primam hujus ad urbem Romam profectionem; quae historia describitur Act. XXIV: 7. Interea autem Lucam adhaesisse Paulo, colligimus ex eo, quod immediate ante illam captivitatem cum Paulo erat Hierosolymis, ut patet ex Act. XXI. 15-18. deinde autem se tacite quasi eidem adjungit comitem in itinere illo, & navigatione Act. XXVII: 1. & XXVIII: 1-16. Tum autem suum Evangelium in urbe sancta vel saltem in ejus vicinia, scripsisse paene colligo, ex documentis illis Genealogiae Christi, quae affert, quorum vix alibi, quam Hierosolymis vel Bethlehemi potuisset fieri compos.

§. 9. Non quidem ignarus sum, celeberrimum Franciscum Burmannum, F. in harmonia Evangel. in prolegom. ad Lucam conjicere, non esse simile vero isto tempore Lucam hi-

historiam Evangelicam mandasse literis, quod captivo Paulo non ea potuerit gaudere ac frui animi tranquillitate, quae quidem ad ejusmodi conficiendum opus requirebatur. Sed, quisquis cogitat, illam captivitatem per ὅλην διέτριαν fuisse continuatam, Lucâ interea temporis plena fruente libertate, facile perspiciet, cujus ponderis illa praeclarissimi viri cogitatio sit. Certe, si deinceps Pauli custodia in urbe Roma, non praepedire potuit, quo minus interim Lucas ad consignandos fideliter actus Apostolicos animum adjungeret, eamque profligaret fideliter, quod factum esse Romae recte probat Burmannus, non video, quid obstet, quo minus idem, Paulo in Judaea in vincula coniecto, cum ipse interea neque itineribus neque aliis negotiis impederetur, historiae suae Evangelicae contexendae vacare potuerit quam commodissime? Praesertim cum operâ Jacobi Apostoli, agnati Domini, & illorum Presbyterorum, a quibus tam humaniter adveniens exceptus erat Act. XXI. 17. 18. vel etiam sacerdotum conversorum, Act. VI: 7. tam egregie in illo opere conficiendo potuit adjuvari. Hoc autem tempus scripti Evangelii Lucae, quisquis comparaverit cum illis verbis Josephi, quae leguntur L. XX. c. 8. Ἰησὺς τὸν Ἰσ. γαμαλιηλᾶ τὴν ἀρχιεροσύνην ἀφειλομένος ἔδωκεν ματθίᾳ τῷ Θεοφίλῃ, καὶ ὅν ἡμεῖς ὁ πρὸς Ῥωμαίους πόλεμος Ἰουδαίῳ ἐλάβε τὴν ἀρχὴν, deprehendet, haud

longo intervallo eam epocham distare a temporibus Theophili, si vel etiam posteriora verba, quo Pontifice bellum Romanorum cum Judaeis gestum initium coepit, non ad Theophilum, sed Matthiam velis referre.

§. 10. In illa vero urbe Hierosolyima supeditari potuit optima (ε) occasio Lucae, Commentarios de Christo mandandi monumentis, quae offerret isti Theophilo. Honorato enim huic Viro, qui ipso defunctus erat summo sacerdotio, non poterant ea, quae de gestis, miraculis, morte ac resurrectione DOMINI narrabantur, ignota esse. Quidni enim illi tum summo jure illud objici potuisset, quod apud Lucam nostram Cleophas respondebat Christo; Συ μνος παροικεις εν Ιερουσαλημ, και εκ εγνωσ τα γενομενα εν αυτη ενταις ημεραις ταυταις; Luc. XXIV: 18. Idque eo minus, quod Hannae, patris sui & Caphae, affinis sui, non exiguae in toto illo negotio fuerint partes. Neque credibile est, eum rerum gestarum tanti momenti, a quibus totius reipublicae Judaicae, populique salus & fata dependebant, tam fuisse incuriosum, ut non circumstantias omnes illarum sollicitè investigaret, excuteret, ponderaret. Et, cum cordati, sapientisque Viri omnino sit, non prius cogitationum facere summam, quam accurate subductis rationibus omnibus, alterique etiam parti accommodatis auribus, valde est probabile, apostolos reliquosque Chri-

Christi sectatores ab eo auditos diligenter, ut de rei veritate edoceretur melius. Quibus consideratis, facile animadvertis, quae dari potuerit occasio Lucae, istos de vita Christi commentarios perficiendi, eosque offerendi Theophilo, nimirum, vel ut ipse confirmaretur in ea disciplina, cui argumentorum victus pondere praebere coeperat vacivas aurium aedes, vel, ut, si istam Lucae phrasin, *περὶ ὧν κατηχηθῆς λόγων*, cum eruditissimo Heumanno de rumore solum, qui in ejus quoque aures penetraverat, velis sumere, de auspiciis Christianae religionis isto libro apologetico, instrueretur felicius, quo de illa mollius benigniusque, quam quidem a reliquis sacri ordinis Viris fiebat, sentire inciperet.

§. 11. Et quod quidem illam a D. Lucono, (hoc enim genuinum Viri sanctissimi nomen fuit) usurpatam phrasin adtinet, illa apud veteres auctores vix occurrit. Neque Hesychius, neque Julius Pollux, neque Harpocration, neque Etymologus, neque Eustathius eam explicant. Luciani quidem & Porphyrii loca adduxit Henricus Stephanus, in quibus ea vox reperitur, sed tamen non illa constructione, quali in hoc loco, & in Actis Apostolicis cap. XXI. vs. 21. & 24. usus est D. Lucas. Unicum tamen locum indagare licuit, in quo parilis reperitur constructio, apud Plutarchum nimirum, qui de flumi-

nibus scripsit: Ille enim scribit Capite de Pactolo, editionis, quae Tolosae a. 1618. in 8. prodiit, pag. 24. Πακτωλος ἐν τοῖς Ἀφροδιτις μυσηλοῖς Δημοδικὴν τὴν ἀδελφὴν κατ' ἀγνοίαν βιάσασθαι, καὶ πέρα των συμβεβηκότων κατηχηθεῖς, διὰ λύπης ὑπερβολὴν ἑαυτὸν ἔριψεν εἰς ποταμὸν. ο. τ. λ. Phil. Jac. Maussacus, qui primū librum illum suis illustratum notis edidit, verba illa καὶ πέρα των συμβεβηκότων κατηχηθεῖς, ita vertit. *Et superatus a casu; nullo sensu, vel saltem alieno.* Ita enim transferri debent, *Et postquam de iis, quae contigerant, erat certior factus, ut sensus sit, Pactolum inscium in Ἀφροδιτις vim intulisse sorori suae Demodicae, deinceps autem, cum rem illam inaudivisset, quae contigerat, tristitia nimia oppressum se conjecisse in fluvium.* Videlicet κατηχηθεῖς πέρα τινος est aliquid percipere auribus. Unde in veteri ecclesia nomen Catechumenorum ortum est. Quamvis enim οἱ κατηχηθεῖς ἀπὸ τῶν Ἀκροωμένων subinde distinguantur, saepissime tamen quoque dicuntur *audientes*, id quod innumeris Veterum scriptorum locis comprobari posset, si id nunc ageretur. Unum alterumve tantum nunc adducam. Isidorus Orig. L. VII. c. 4. *Catechumenus dictus, pro eo quod adhuc doctrinam fidei AUDIT, nam κατηχηθεῖς Graece AUDITOR dicitur.* Quae verba paene eadem habet Rabanus Maurus de instit. Cleric. L. I. c. 26. August. de verbis Dom. serm. 46. *Qui autem inter*

ter eos Catechumeni vel Audientes vocantur, potuerunt esse Audientes, nunquid & intelligentes: Et paulo post. Tu autem Catechumenus diceris AUDIENS & surdus. Et Cyprianus L. III. ep. 17. & 22. Optatum scribit a se constitutum Doctorem AUDIENTIUM. i. e. Catechumenorum. Sed haec in re nota plus satis. Vides κατηχεῖσθαι esse audire. Latine omnium optime vocis vim exprimit το Circumsonare, qua utitur Cic. de off. in prooemio L. III. Condacere arbitror talibus vocibus aureis tuas undique circumsonare, nec eas, si fieri posset quidquam aliud AUDIRE. Aut potius circumsonari, quae vox apud Ovid. in trist. L. V. el. 3. vs. 11. occurrit.

Nam procul a patria Geticis circumsoner armis.

Circumsonari armis Graecè phrasi Lucae diceris κατηχεῖσθαι περὶ τῶν ὀπλῶν. Rectissime itaque observat Cl. Heumannus ex phrasi, qua usus est Evangelista, non sequi eum Christianorum sacris fuisse imbutum, sed eorum tantum rumorem ad ejus aures pervenisse.

§. 12. Illa autem (?) conjectura nostra de hoc Theophilo non parum inde videtur contrahere roboris, quod pleraque, quae Lucas adtulit reliquis sacris scriptoribus intacta, vel Sacerdotes, vel res in Templo gestas respiciant. Huc pertinent, quae statim in ipso limine de Zacharia sacerdote ex tribu Abia, ejusque uxore Elisabetha, rebusque quae in

ipso templo contigerunt, de Christi in illo oblatione, de decantatis à Simeone juxta & Anna in templo hymnis ac vaticiniis, de Christo duodecenni in eodem inter doctores confidente, omniumque cum admiratione verba faciente capitibus I. & II. narrantur. Ut nunc reliqua taceam; Sane, haec omnia ad illum, qui Sacerdotis maximi munere functus erat, scripta videntur ut, cum ei minime omnium ignota esse possent, revocarentur in memoriam, quò de veritate religionis Christianae vel persuaderetur fortius vel in ea confirmaretur amplius. Eum in finem quoque diceres monitum esse, cum se accingeret Evangelista ad recensendam historiam Christi, ejusque prodromi Johannis, ea facta esse ἐπ' Ἀρχιερέων Ἀννα καὶ Καϊάφα, *Sacerdotibus summis Hanna & Caipha* Luc. III: 3. quorum ille Theophili pater, hic ejus affinis erat. Porro cum Christus praedicat instantes passiones suas, solus Lucas annotat, earum auctores fore τῆς Ἀρχιερείς Luc. IX: 22. Nemo est, qui de obsidione Hierosolymae futura Christi praedictionem secundum omnes circumstantias tam accurate enarravit, quam Lucas. XIX: 41. 42. 43. XXI: 6 7. Et quae ejus generis plura sunt; Cujus rei rationes non melius perspexeris, quam si Theophilo nostro, τῶν ἀρχιερέων quondam Principi, templique praefecto hunc librum inscriptum memineris.

§. 13. Porro si Actus Apostolicos confu-
 leris, videbis non solum, ea quae publice in
 templo Hierosolymitano contigere, plene
 narrari, sed & toties illorum *Ἀρχιερεων* menti-
 onem fieri, qui Theophilum nostrum pro-
 pinqua cognatione adtingebant, eosque au-
 ctore supplicii Christo irrogati, molestia-
 rumque Apostolis inflictarum considerari.
 Ita ut ad illius quasi conscientiam rerum ha-
 rum omnium provocetur. Quae totum li-
 brum perlustranti obvia erunt & expedita.
 Haec omnia apud animum meum perpen-
 dens, vero mihi fit simile *Theophilum*, ex
 sacerdotali ortum genere, illum esse, ad
 quem divinus scriptor Evangelium suum al-
 legavit. Saltem, nunquam Theophilus alius
 a quoquam est indicatus, in quem omnia ac-
 curatius quadrent, quam quadrant in hunc,
 quem produximus. Si quis tamen sit, qui
 putet sibi causas esse, cur nobis pollicem ne-
 queat premere, is sciat, nos non alio loco
 haec à quoquam velle haberi, quam quo
 conjecturae probabiliores habendae sunt. Tan-
 tum abest, ut cum aliquo velimus super hoc
 negotio altercari.

§. 14. Sub finem §. 7. Cl. Heumannus,
 minus recte *το κεραισος* a Vulgato interpre-
 te, atque aliis eum secutis, redditum esse *Opti-
 mus* monet, cum potius vox ea vertenda sit *ex-
 cellentissimus*. At Vulgati partes olim Pricae-
 us & nuper admodum erudite, ut
 solet,

solet, tuendas suscepit Frater meus Jacobus HAA-
 SAEUS, in dissertatione, quae antecedenti
 fasciculo septimum locum occupat, ubi o-
 stendit titulum *optimi* non solum datum il-
 lustribus dignitate viris, apud Romanos quo-
 que, sed & ab his demum morem hunc lo-
 quendi derivatum esse ad Graecos. Digna
 sunt omnino, quae ibi adtulit, ut cum his con-
 feras. Et sine viris quibuscunque virtute
 eximiis, maxime tamen in honoribus ac di-
 gnitate positis hoc *ἄξιωμα optimi* inpositum
 cum innumera veterum scriptorum loca tum
 veteres inscriptiones satis docent. Ita illo
 insigniuntur apud Gruterum p. 444. n. 2. Cn.
 GAJUS PUDENS Senator, & p. 445. n. 5. C.
 OPPIUS, multis dignitatibus aliis illustris,
 omnibusque officiis in caliga functus dicitur *opt. mus*
dignissimusque.

§. 15. Provinciarum inprimis Praefecti &
 Praesides ita audiunt. Sic JVLIVS praetor &
 Curator civitatis Interamnatum, Proconsul pro-
 vinciae Achajae caetera, PRAESES OPTI-
 MVS apud Gruterum p. 422. num. 7. & T.
 CLAVDIVS CANDIDVS, Cos. XV. vir S. f.
 leg. Augg. Pr. Pr. provinc. h. c. & in ea terra ma-
 rique dux, caetera. p. 389. num. 2. & M. NO-
 NIVS M. F. Cos. XV. vir sacris fac. leg. Aug. leg.
 Aug. Pr. Pr. prov. Pannoniae inferioris ut & T.
 VARIUS Clemens, proconsul provinciarum Belgi-
 cae, & utriusque Germaniae, Raetiae, Maureta-
 niae, Lusitaniae, Ciliciae, & quae sequuntur, isto titulo
 OPTI.

OPTIMORVM PRAESIDVM superbiunt. Sic Aemilianus Strabo, vir consularis & Asiae Proconsul ab Apulejo Flor. L. III. p. m. 236. *Vir inter OPTIMOS clarissimus, & inter clarissimos OPTIMVS* dicitur. Ex qua observatione patet, quo jure olim vel Lysias vel Tertullus Felicem, vel Paulus Festum, utrosque *ἡγεμονας* sive Praefides Act. XXIII: 26. XXIV: 3. & XXVI: 27. *κραινιστας* sive *optimos* appellaverint. De his autem epithetis prae aliis digna sunt, ut conferantur, quae Johannes PRICAEVS in notis cum ad Luc. I: 4. tum ad Act. XXIII, 26. adduxit.

§. 16. Alias, quod obiter observo, titulum *optimi* singularem ob virtutem singularibus Viris à Romanis datum accepimus. Ita auctor libri de Viris illustribus cap. 44. & 46. Publico Scipioni Naficae id contigisse testatur. Ex Imperatoribus autem a S. P. Q. R. id concessum primo omnium Trajano auctores sunt Plinius in Paneg. & Dio in ejus vita. Unde ille toties in inscriptionibus tam lapidum, quam nummorum dicitur PRINCEPS OPTIMVS. Vide Gruterum pag. 190. n. 7. p. 246. n. 8. & 9. p. 247. n. 3. Omnesque paene nummorum, qui Trajani imaginem ostentant, descriptores. Et quidem fere solus; cum enim reliqui dicantur aliquando *principes optimi, maximi, optimi & fortissimi, optimi & providentissimi* & quae hujus generis plura sunt, vix alium tamen deprehendo *optimum καὶ ἐξοχόν* dici, nisi hunc

hunc & Aurelianum in inscriptione apud Grut. p. 276. n. 7. Idem tamen encomium M. Antonino Philosopho & Alexandro Severo tributum esse, a Julio Capitolino & Lampri- dio annotatum me legisse memini, quamquam ipsa loca nunc invenire non liceat.

§. 17. Ex quibus omnibus cum quidem constet, optimi sive κρατιστος nomen Viris principibus atq; in summa dignitate constitutis datum esse, ita, num, quod Theophilus θεοφι- λος dicatur, honoribusque eminuerit, indeli- quido sequatur, eum fuisse ethnicum, atque à religione Christiana alienum, quod inde elicere sibi posse eruditissimus Heumannus §. 9. putabat, de eo quidem putem dubitari posse; quod complures fuere viri θεοφι- λος, eo tempore, & tamen Christiani. Quid enim? Anne vel ante illam aetatem, qua scribebat Lucas, SERGIUS PAULUS, & summo ortus genere, (erat enim ex splen- didissima & primaria Romanorum familia na- tus) & amplissima dignitate fulgens, (nimi- rum constitutus ἀνδραγαθὸς Cypri, i. e. Prae- tor vel Proconsul,) desiderio cognoscendi veritatem Christianam tactus, & ministerio Pauli ad eam amplectendam traductus fuit? ipso haec narrante Luca nostro actorum A- postolicorum C. XIII: 7-12. Et quis nescit ἐν ὄλῳ περιωλεῖω Caesaris, vincula Pauli, Lucae comitis, fuisse illustra facta, & sanctos nume- ratos fuisse inter illos, qui ex τῆς Καισαρεῖ- ούτινος

omnes erant, testante Paulo Phil. I: 13. 14. & IV: 22. Ne nunc de Torpete, Evellio, Poppaea Sabina, Epaphrodito, Pudente, Pudentiana, aliisque, quos ad familiam pertinuisse Neronis Christoque dedisse nomen martyrologia veterum testantur, loquar. Flavium Clementem, necessitudine junctum tum imperanti Vespasianorum familiae, Domitiani in Consulatu collegam, ejusque uxorem Flaviam Domitillam, & neptem ejusdem nominis, ut & M. Anicium Glabriorem, Virum consularem, a Domitiano capite multatos & Christiani & gentiles memoriae prodiderunt. Meretur sane de his, aliisque hujus Ordinis Viris, feminisque conferri elegantissima & luculenta celeberrimi sacrorum Antistitis Halensis J. Michaelis HEINECCII, de *Administris Caesarum gentilium Christianis, eorumque in ecclesiam meritis* dissertatio, quæ ante hos octo annos Halae Venedorum edita est. Tertulliani sane aevo complures Viros *neglectos* inter Christianos nomina sua professos esse ex ejus verbis colligimus, quae leguntur in Apolog. c. XXXVII. *Hesterni sumus, & vestra omnia implevimus urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, PALATIUM, SENATUM, forum, sola vobis relinquitur templa*, ut & quando Scapulam, Proconsulem Africae, hoc argumento a caede Christianorum avertere conatur, *quod verendum sit, ne si saevire pergat, inter Christianos repertu-*

rus sit SVI etiam ORDINIS VIROS, & ma-
tronas, & PRINCIPALES quasque PERSO-
NAS, & amicorum suorum vel propinquos vel
amicos. Cum itaque, Viri honoratissimi,
splendidissimisque admoti muneribus fuere
Christiani, Christianus quoq; potuit esse Theo-
philus Κραβις.

§. 18. Addere nunc ἀμύτηξ loco iis liceat
non ab Heineccio solum, sed & aliis fere ne-
glectam POMPONIAM Graecinam, Plantii
uxorem, de qua Tacitus L. XIII. Ann. c. 32.
ita loquitur. *Et Pomponia Graecina insignis fe-
mina, Plantio, qui ovans se de Britannis retulit,
nupta & SUPERSTITIONIS EXTERNAE*
rea, mariti iudicio permessa. Isque prisco instituto,
propinquis coram, de capite famaue conjugis co-
gnovit, & insontem nuntiavit. Longa huic Pom-
poniae aetas, & continua tristitia fuit. Nam per
quadraginta annos non cultu, nisi lugubri, non ani-
mo sine moesto egit. Idque illi imperitante Claudio
impune, mox ad gloriam vertit. Hanc Christo no-
men dedisse non uno argumento inducor, ut
credam. Superstitionis externae dicitur rea. Ita
autem religionem Christianam tum tempo-
ris dictam, habitamque ecquis ignorat? Di-
scimus sane illud ex Suetonio in Ner. cap. 16.
Afflicti supplicii Christiani, genus hominum su-
perstitionis novae ac maleficae, & nostro hoc
Tacito, qui Ann. L. XV. cap. 4. ita scribit,
Auctor nominis Christianorum Christus, qui Ti-
berio imperitante, per procuratorem Pontium Pila-

tum supplicii affectus erat Repressaque in praesens
 exitiabilis superstitio rursus erumpebat. Idem
 confirmat vulgaris illa inscriptio, quae a Bar.
 ad Ann. 69. num. 46. & Scaligero de Emend.
 temp. p. 471. & Occone Inscr. Hispan. p. 26.
 & Grutero p. 238. n. 9. aliisque passim addu-
 citur, reperta in Lusitania. NERONI CLAU-
 DIO Caesari Augusto Pontifici Maximo ob pro-
 vinciam latronibus & his, qui novam Generi hu-
 mano SUPERSTITIONEM inculcabant. purga-
 tam. Unde Christiani caerimonias antiquitas
 institutas novitatis suae superstitione contaminare
 dicebantur, ut apud Arnobium L. I. legere
 est, ubi & eorum hostes conqueruntur, quod
 jaceant antiquae derisui ceremoniae, & sacrorum
 veterrimi ritus religionum novarum superstitioni-
 bus occiderint. Sicut apud Lactant. L. V. c. 2.
 impio cuidam Sophistae nostra religio voca-
 tur anilis atque impia superstitio, & cap. 13. ab
 aliis muliebris aut anilis superstitio. Plane, ut
 apud Minucium Felicem p. m. 82. vana & de-
 mens superstitio & Plin. in *mesBois* illa ad Tra-
 janum epistolâ in Christianorum arcanis, ni-
 hil nisi *superstitionem pravam & immodicam* se re-
 perisse scribit. Ita Laodicus in agone S. Mar-
 celli interrogat. *Deposuistis vanas supersti-
 tiones, & adoratis Deos, quos Imperatores ad-
 orant.*

§. 19. Vides itaque Christianam religi-
 onem SUPERSTITIONEM dictam, habi-
 tamque? Cum autem *externa* vocatur, nihil

ea appellatione innuitur aliud, quam eam novam esse, & heri vel nudius tertius demum natam, & peregrinam & ab exteris introductam. Id quod jam Athenienses exprobrabant Paulo. Δυναμεθα γνωσαι, τις η̄ ΚΑΙΝΗ̄ αυτη̄ ῡπο σου λαλουμενη̄ διδαχη̄; ΞΕΝΙΖΟΝΤΑ γαρ̄ πνᾱ εισφερεις̄ εις̄ τας̄ ακοας̄ η̄μων. Act. XVII: 19. 20. unde & ΞΕΝΩΝ δαιμονιων nuntium vocabant vl. 18. quemadmodum ΞΕΝΗΝ πνᾱ καῑ κρηνη̄ θρησκειᾱ Christianis infideles objiciebant teste Iliodoro Pelusiota L. II. epist. 46. & Licinius Deum, quem illi colebant, in oppositione Deorum suorum πατρων̄ ΞΕΝΩΝ appellabat apud Euseb. in vita Constant. L. II. c. 5.

§. 20. *Externa itaque superstitio*, cujus rea dicitur Pomponia Graecina fides fuit Christiana. Sed & reliqua, quae adduntur, videntur hanc sententiam confirmare. *Continuus* enim, illa *tristitia* quam ei Tacitus adtribuit, quidni illam e sensu criminum, quibus omnes, qui ubique sunt, homines contaminati sunt, & consideratione flagitiorum, tum impune Romae grassantium, & ob interdictam publicam sacrorum professionem, & generosum deliciarum mundanarum contemptum ortam auctamque, adeoque talem, qualem Apostolus 2. Cor. VII: 10. describit λυπη̄ν κατᾱ Θεον̄ μετανοιᾱν εις̄ σωτηριᾱν ᾱμεταμελητον̄ κατεργαζομενη̄ν fuisse dicamus. Cum autem ob superstitionem, i. e. pietatem Christianam capitis accusata esset, ab ipso tamen

Tacito, scriptore ethnico vocatur *infignis* femina, ob praeclaras & Christiano nomine dignas virtutes, quae hoc insigne testimonium vel ipsi hosti extorserunt.

§. 21. Hinc itaque colligimus temporibus Neronis, quibus Lucas commentarios suos de actis Christi, atque ejus Legatorum consignavit, vixisse Romae feminam, ΚΡΑΤΙΣΤΗΝ, ortam Patre Κρατισω Pomponio Graecino, qui consulatu functus est, imperitante Augusto, & cui, ni fallor, Ovidius Elegiam nominam L. IV. quem ex Ponto miserat, inscripsit, nuptam quoque Viro Κρατισω Aulo Plautio, Viro consulari, exercitus Duci, & Britanniae praeposito, ceu eum Tacitus appellat in vita Agricolae c. XIV. Ab illo, tametsi superstitionis externae i. e. Christianismi rea erat, declaratur insons, cum ejus permissa esset judicio. Unde & hunc non longe à reno coelorum abfuisse judices. Potuisset itaque Theophilus Christianus esse, quamvis esset *αἰνε Κρατισος*, & summis fulgens honoribus. J. Q. E. D.

V.

STEPHANI VITI,

In illustri Carolino, quod Cas-
fellis est, Theologiae naturalis &
Ethices Professoris,

Vita

JOHANNIS JEZ-
LERI,

Antistitis & Magistratus Scaphu-
fani,

Ejusque libri de *Diuturnitate belli*
Eucharistici recensio.

ARGUMENTUM.

Theologorum officium in curandis sanandisque erran-
tibus exponitur. §. 1. demonstratur. §. 2. sed ex
quotidiana experientia ostenditur, illos potius in
omnia alia pedibus discedere. §. 3. patere id ex bel-
lo de S. Cæna nato inter Protestantes. §. 4. 5.
in cujus belli causas, qui inquisiverint, laudantur, &
in illis Ioh. Jezlerus §. 6. cujus exponitur vita pue-
ri. §. 7. in Academiis degentis. §. 8. muneribus
publicis scholasticis, ecclesiasticis, politicis functi.
§. 9. 10. 11. 12. recensentur liberi. §. 12. libri §. 13.
elogium §. 14. Deinde libelli de *diuturnitate belli Eu-*
cha-

charistici recensio instituitur, illiusque titulus, dedicatio, & scopus exhibentur §. 15. causæ vero cum in genere §. 16. tum in specie ζιζανια dæmonis §. 17. δικαιοκρασια θεσ §. 18. δοκιμασια piorum. §. 19. Theologorum το αγαυ φρενεν. §. 20. απαιδευσια. §. 21. πικροκρασια. §. 22. φιλονεικια. §. 23. Impatentia. §. 24. ἀδοτιοεπισκοπια, ἀρχαισμος male intellectus, negligentia magistratus, librorum alterius partis tantum interdictio. omissio Synodorum, injustitia in tribuendis honoribus Academicis, pactorum violatio. §. 25. ανθρωπαρεσκευια & denique το αυτος εφα Pythagoricum. §. 26. libelli conclusio. §. 27. Eruditorum, in specie Tossani de toto hoc libello iudicium. §. 28.

§. 1.

AB omni mihi & ratione & humanitate alienum videtur, quod cum nemini facile vitio vertere soleamus corporis nævos atque vitia, non possimus æquo animo illos ferre, quos vel ex mentis imbecillitate, vel ex falsa persuasione errare existimamus. Ego profecto eandem fere rationem esse mentis errorum puto, quæ corporis vitiorum est: neque alio modo his mederi te posse existimo, alio istis. Intellectu cæci plerumque sumus, ut videre atque perspicere, quæ vera & falsa, bona & mala sint, nequeamus: voluntate vero claudi, ut movere se nostra mens non possit, quia ab omni rectitudine aberret. Quod

igitur in iis corporis vitiis, quibus humana industria mederi potest, facere prudentes Medici solent, id ego imitandum piis Theologis tanquam animarum Medicis omnino existimo. Illi vero hominum morbis, qui immedicabiles non sunt, arte, prudentia, humanitate, convenientibus succorum herbarumque viribus, non rixando, non calumniando, non condemnando medentur. Horum igitur est ex humanitatis Christianæque charitatis præceptis id agere, ut prudentia ut humanitate, ut ex S. Scriptura sanaque ratione repetitis demonstrationibus ad conscientiam errantes animos in veritatis viam reducant. Quod si quos quicquid agant eo adducere nondum potuerit, ut eadem sentirent, id quod Medici in morbis immedicabilibus facere solent vel suæ imperitiæ, vel adhibitorum remediorum imbecillitati, vel denique morbi gravitati tribuant, errantiumque ipsos potius misereatur, eos Medicorum Medico suis precibus commendent quam rixentur, quam calumnientur, quam illos morte dignos pronuntient.

§. 2. Quo quid quæso non Theologo tantum, & sapiente viro, sed homine etiam dignius, quid Sacræ Scripturæ, quid Christianæ religionis præceptis convenientius, quid errantibus docendis, & in viam reducendis accommodatius vel esse vel fingi potest? Accedit deinde, quod quo sapientior quisque fuerit,

erit, quoque magis in veræ pietatis studio profecerit, eo plures, majoresque etiam in sua mente errores, novosque sentiat. Qui illum non possunt non eo adducere, ut tanto facilius veniæ, pacisque locum errantibus, dissentientibusque relinquat, quo sæpius ipsa experientia duce didicerit, & se errasse, & veriora sentientibus errorem temere tribuisse.

Qui itaque illorum Theologorum errores atque peccata (quotus enim quisque etiam Theologorum est, qui suorum errorum atque peccatorum, quæ quotidie committit, aut numerum nosse, aut turpitudinem satis detestari possit) divina misericordia digna arbitretur, qui ejusdem humanitatis, imbecillitatisque consortibus nullum veniæ, nullum pacis atque concordie locum concedunt, tantum quod ea sentiant, quæ ipsis falsa videntur, licet forte aut veriora sint, aut suo argumentorum pondere non destituta, aut si tandem falsa sint, cum salutis tamen in S. Scriptura traditæ fundamento non conjuncta.

§. 3. Licet itaque Theologorum esset præ cæteris omnibus ex sui, Dei que cognitione, quam clariorem cæteris habere videri volunt, in eo elaborare, ut Christi exemplo errantes dissentientesque docendo, demonstrandoque sibi & veritati reddant obnoxios; nemo tamen immitius, nemo crudelius, si

ab ipso Theologorum vulgo discesseris, tractare solet non errantes tantum in iis, quæ ipsi certo cognoverunt, sed ipsos etiam in probabilibus tantum dissentientes. Quæ enim controversiæ, quæ lites vel de levioris momenti rebus vel vehementiori animorum exacerbatione, vel denique, cum majori bonorum, existimationis, vitæ denique ipsius periculo agitari solent, si ab illis discesseris, quos Theologi plerumque aut inter se, aut cum aliis excitant, sustinentque? Quis ex omni sacra historia nescire potest, dissensum sæpe in minimis, quos motus civerit, quas lites excitarit, quæ bella, quæ mala Ecclesiæ intulerit! Minima dissensus scintilla sæpius tanta dissidiorum incendia suscitavit, ut iis Ecclesia Dei tantum non conflagrarit. Quis ignorat, quo fervore, qua animi verborumque contentione, quibus calumniis atque criminationibus ejusmodi jurgia Theologica foveant? Quem fugit, in quæ bonorum, famæ, quid? quod ipsius etiam vitæ interdum veriora etiam sentientes, vel parum est innocenter errantes cæcus & impius Theologorum Zelus præcipitarit? Quare efficimus, ut sæpe haud temere viris sapientibus nullum hominum genus ejusmodi λεγομενοις Theologis videatur suarum sententiarum, præjudiciorum, errorumque tenacius, nullum monitoribus, melioraque docentibus asperius, nullum magis superstitiosum, nullum quibuslibet

bet dissentientibus intractabilius, irritabilius, rixosius, implacabilius, crudelius.

§. 4. Quam hæc vera sint unius controversiæ de S. Cænæ historia optimum quemque facillime potest docere. Quis enim, nisi cui degenerum ejusmodi Theologorum & φιλονεικία & σομαέυλυτον προς λαιδορείαν cognita atque perspecta sint, existimare unquam potuisset, tantum inter eos, qui eadem mente à Pontificiis discesserunt, jurgiorum ἀσυμβατων, bellorumque ἀσπονδων nasci ex eo tantum potuisse, quod cum in reliquis omnibus, quæ ad naturam Eucharistiæ, fidei que salutaris fundamentum pertinent, eadem sentirent, alii verborum institutionis ἡν διανοίαν sequuti solum panem atque vinum in externis symbolis, quæ & electis & reprobis communia essent, existimarent; alii contra reliquorum sacramentorum naturam ἡω ῥήτωρ fervientes, etiam corpus & sanguinem Christi alio quam Spirituali, quique in reliquis Sacramentis locum habet, quo tamen ipsi nescire se profiterentur modo in, cum & sub pane tanquam symbolum externum esse arbitrarentur. Vere hic locus est illi Euripidis in Androm. sapientissime dicto

Σμικροίς ἀπ' ἀρχῆς νεῖκος ἀνδρωποῖς μετὰ
Γλωσσ' ἐκπεριζῶσι. Τὰ το δ' οἱ σοφοὶ βροτῶν
Ἐξευλαβανταί, μὴ φίλοις φευρεῖν εἶν.

A parvo initio lingua hominibus magnum jargium⁶⁶ suggerit. Ab eo autem viri sapientes sibi cavent, ne amicis suis cudant contentionem. Est itaque, quamobrem eos omnes vehementer pudeat, qui de re tam parvi momenti, id est, de diversa unius voculæ EST explicatione, quarum neutra veræ & salutari de sacramento sententiæ usuique adversatur, utraque vero suo argumentorum pondere nititur, tantas lites, tantos tumultus, & in Dei Ecclesia, & in societate civili cum primum excitarint, tum hætenus foverint, atque aluerint. Quod qui faciunt mihi profecto magis S. Scripturæ nostræque salutis præceptis contraria & sentire, & perpetrare videntur, quam qui falsa veri specie plecti de vero hujus vocis sensu revera errant.

§. 5. Nonne tota S. Scriptura plena exemplorum utriusque explicationis est & propriæ & tropicæ? Nonne qui τὴν δόξαν sequuntur, ea tradunt, quibus omnium fidei articulorum ratio optime sibi constet? Nonne qui τὸ πῦρον tuentur, ea omnia negant, quæ ex illorum sententia naturæ vel divinæ, vel humanæ contraria elici posse videntur? Quis, quoad ἐκ μέρους tantum γινώσκουµεν conspirantem omnium verborum Sacræ Scripturæ interpretationem unquam expectet? *Tanta est (Inquit divinus Augustinus epist. 137.) Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad*
de-

decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere - - Ita enim (ut alibi idem loquitur) Spiritus S. scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami-
 occurreret obscurioribus autem fastidia detergeret. Quid igitur iniquius, quid Theologo indignius, quam eos non ferre posse, qui in S. Scripturæ explicatione dissentiunt, cum tamen uti sapientissimus quisque est, ita in SS. literarum explicatione sæpissime se errasse, & plurima adhuc ignorare, lubentissime fateatur. Quis itaque ejusmodi Theologos, qui cum maxime etiam in Scripturæ profunditate & amplitudine percontanda atq; scrutanda deberent ἀληθευειν ἐν ἀγάπῃ καὶ μὴ μάχεσθαι, ἀλλ' ἥποιο εἶναι πρὸς πάντας Christum illiusque verbum διὰ φθονον καὶ ἐρι κηρυσσασιν ἀσπονδοι, διαβολοι, ἀνημεροι, ἀφιλαγαθοι, νοσηντες περὶ ζήτησεις, καὶ λογομαχίας, ἐξ ὧν γινεται φθονοι, ἐρις, βλασφημιαι, ὑπονοιαι πονεραι, dignos existimet, qui illustri nomine nuncupentur a Deo, cujus tanta χρησότης καὶ φιλανθρωπια est, ut etiam ferat ἐν πολλῇ μακροθυμια ipsa σκευη ὀργης κατηρητισμενα εἰς ἀπωλειαν, cum ipsi non tantum non ferre possent, sed etiam condemnent illos, qui ἰσοπιμον αὐτοῖς πρὸς λαχοντες ex imbecillitate in unius vocis explicatione, quæ alias S. Scripturæ familiaris est, errare forte tantum videntur.

§. 6. Cum igitur nemo facile ex tam levi dissensu tantum bellum inter Theologos
 na-

nasci potuisse existimare posset, nisi natum il-
 lud esse tristes ipsa experientia quemlibet do-
 ceret : operam & oleum non perdere cen-
 sendi sunt, qui in maximorum horum de re-
 bus minimis motuum causas inquirunt, ut
 iis cognitis eo facilius consuli possit rebus Ec-
 clesiae afflictis. In iis primo loco censendus,
 qui cum viveret & eruditione, & pietate, &
 prudentia & modestia, & pacis Ecclesiasticae
 studio veri Theologi dignitatem atque lau-
 dem sustinuit, meus ex matre abavus Joh.
 JEZLERUS, qui eo consilio libellum de causis
 diuturnitatis belli Eucharistici conscripsit, ut
 viam paci atque concordiae sterneret. Ita-
 que cum hodie non ex nostris tantum, sed ex
 ipsis illis etiam, qui invito Luthero, non
 ægre se Lutheranos dici ferunt, existant
 Theologi, qui cum & pia eruditione, & pru-
 dente modestia tantum alios inter capita ex-
 tulerint, quantum lenta solent inter vibur-
 na cupressi, tum vero publicis scriptis in eo
 elaborant, ut Dei Ecclesiae pacem, & con-
 cordiam restituant : operæ pretium putavi
 futurum, si præmissis quibusdam, quæ ad hu-
 jus Jezleri vitam pertinent, elegantissimum
 illius libellum recenserem, ex illoque ostende-
 rem, quæ causæ bellum Eucharisticum ad no-
 stram usque ætatem aluerint, produxerintq; ut
 iis perspectis, eo facilius imprudens & im-
 pium hoc bellum totum aliquando confici,
 componique possit.

§. 7. Præcipuæ vero vitæ Joh. Jezleri Scaphusiani, qui Theologus exstitit *πρωτων ἀνταξιος αὐτων*, circumstantiæ, quas quidem cognoscere hæcenus potuimus, hæc sunt. Natus ille est Scaphusii, anno 1542. patre usus Rodolpho Jezlero, lapicida, qui Rhinovie celebri in Helvetia cœnobio Scaphusium a Pontificiorum castris ad nostra transiturus rerum suarum sedem atque domicilium transtulit. Facile vero pro illorum temporum ratione ob veræ religionis studium, artisque peritiam a senatu, populoque Scaphusensi civitatem impetravit. Obiit autem iste peste Scaphusii anno 1566. Cum vero in Johanne nostro mature satis, ut in egregiis ingeniis fieri amat, eximiæ animi dotes proderentur, auctoribus, qui tum Ecclesiæ, Scholæque Scaphusensi præerant, cum antea opificio a tenuioris fortunæ parentibus destinaretur, literarum studio consecrabatur. Postquam igitur e ludo Germanico, ut ipse alicubi loquitur, in Latinum esset transmissus, sub Sebastiani Grubelii & Burckardi Leemanni vexillis feliciter militaverat, inque literis tantum brevi profecerat, ut jam a. 17. ætatis anno sumtibus ex publica privataque patronorum liberalitate in Academias, Scholasque exteras mitteretur, ibidemque per 10. circiter annos aleretur.

§. 8. Ipse literis Tiguro anno 1567. ad Conradum ab Ulms Ecclesiæ Scaphusensis
An-

Antistitem, cujus vita in M. Adami biographia
 exstat, literæ vero ineditæ Scaphulii ser-
 vantur, hanc peregrinationis suæ rationem
 reddit. Fui Argentinæ quadriennium & "
 semestre, annum non integrum Heidelber-
 gæ, Marpurgi menses decem, undecim in "
 Galliis Lutetiæ. Fui, inquam, in his scholis, "
 vidi non pauca, audivi etiam multa, & au-
 dita exercui, quantum per ingenium, æta-
 te & tempus atque locum licebat. Tiguro "
 anno 1567. Argentoratum iterum, & postea
 Heidelbergam rediit, ut ibi Nobilium adole-
 scentum Borufforum studiis & moribus præ-
 esset. Ita vero in his locis omnibus suam &
 eruditionem & vitam probavit, ut nulli non
 cuicumque celebre ex literis nomen erat,
 gratus esset atque jucundus. In quibus præ-
 ter Tosanum Marbachius, Victorinus Strige-
 lius, Erastus, Barones Hohenfaxius, & Kigli-
 tius alique aulici, atque consiliarii erant, qui-
 bus omnibus se usum esse dicit non patronis
 tantum, sed etiam familiaribus. Marbachio
 se charum maxime fuisse adfirmat, & nisi
 Zwinglianismus obfuisset, se præceptorem
 futurum fuisse comitis Solmensis, item Hano-
 viensis, & Nassoviensis. Strigelium vocat
 virum omni laude cumulatissimum, opti-
 mum, humanissimum, doctissimum, & pa-
 cis amantissimum, præceptorem suum, fau-
 torem, amicum singularem, illiusque partes
 strenue contra Zanchium, Olevianum alios-
 que

quetuetur. Patronos vero suos atque amicos sæpe exstitisse, sibi auctores alicubi docet, ut gradum acciperet, sumtus vero sibi deesse, nec si pecunia ad manum esset, bona conscientia ausurum fuisse ad honorem impendere, quod satius esset in materculæ usus necessarios contribuere.

§. 9. Anno tandem 1569. cum Heidelbergæ esset, domum vocatus ad scholæ classem quandam inferiorem tantum abesse monuit, ut functionem hanc tenuem aspernaretur, ut etiam inferiorem non esset recusaturus suscipere, si Scholarchis patronisq; suis ita videretur, se totum illorum esse, licet apud externos melior quædam arrideret fortuna. Itaque Heidelbergæ anno 1570. in patriam rediit, aliquot annis scholæ præfuit, sacroque ministerio perfungebatur. Hoc tempore Daniel Tossanus ad Conradum Ulmerum unum, inquit, est, observande frater, de quo jam sæpius ad te scribere proposueram, cum nimirum præclaræ eruditionis vir D. Jezlerus in triviali schola apud vos consenscat, qui cum magna laude vel in domo sapientiæ, si præceptores ejus domus ad ulteriora forte promoverentur, vel in Academia egregiam operam navare posset: me jam sæpe auctorem esse voluisse nostris hominibus ejus ad nos vocandi, si absque memorabili vestro detrimento id fieri posset, & in solidum sese addicere vellet. - Hac de

„ de re quæso cum clarissimo & spectatissimo
 „ viro D. Mejero Reipublicæ vestræ consule
 „ colloquaris, & perficias, ut, si fieri possit
 „ Jezlerus vester ex pulvere scholastico ad
 „ nos pertrahatur. Idem vero Tosfanus
 „ cum postea intellexisset Scaphusienses hu-
 „ jus Jezleri rationem habituros ad eundem
 „ Ulmerum; perplacuit, inquit, mihi vestrum
 „ studium de ornando atque promovendo viro
 „ certe non vulgaris eruditionis, & exquisiti
 „ judicii D. Jezlero. Ex animo enim nobis,
 „ crede mihi, doleret, talem virum, qui in
 „ Academia nostra cum laude docere posset,
 „ in illo pulvere diu jacere.

§. 10. Ab anno igitur 1576. usque ad annum
 1587. Rector scholæ Scaphusiensi magna cum
 laude præfuit. Hoc vero tempore cum ne-
 gotiorum publicorum, quæ & ad Rempublicam
 & Ecclesiam patriam pertinerent, & multi-
 tudine, & difficultate urgeretur, supplice li-
 bello a senatu Scaphusiensi dimissionem à labo-
 re scholastico petiit. Itaque cum Scaphusi-
 enses vererentur, ne tantorum virorum au-
 thoritate alio vocaretur, ipsisque tanta viri &
 eruditione, & pietate, & prudentia, mo-
 destiaque carendum esset, facile petenti an-
 nuerunt; ex schola vero dimissum docendæ
 Theologiæ, literarumque cum exteris Theo-
 logis commercio destinarent. Quo loco cum
 esset constitutus cum semper optimo cui-
 que suas virtutes probavit, tum vero maxi-

me anno 1587. & sequentibus plurimum sua & eruditione & industria ad Huberianam controversiam & detegendam, & refutandam cum sociis amicisque Stuckio atque Grynæo contulit, ita ut illustris Reipubl. Bernensis proceres eum non præmiis tantum lautis affectum domum dimiserint, sed etiam de eo sibi tanquam de fortissimo felicissimoque Athleta illius temporis fuerint gratulati.

§. II. Scaphusium redux cum consiliis suis & laboribus diu Ecclesiæ, scholæque feliciter præfuisse, anno 1599. raro exemplo ob singularem prudentiam etiam res civiles tractandi Reipublicæ Scaphusiensis gubernaculis admovebatur. Unanimi enim civium suorum consensu tribus, cujus membrum erat, præfectus constituebatur. Cui magistratui ad tempus tantum humeros submitit, brevi ad Ecclesiam rediturus. Guilielmus Stuckius ad eum anno 1599. *Plato, inquit, eas respublicas, dixit esse beatas, cui philosophi præsent, aut qua ii, qui ei præsent, philosophentur: sic vestram quoque Rempublicam beatam merito dixerim, cujus tu tantus Theologus præes, & in qua, uti spero, theologisari non desines.* Et Tossanus: *Etsi Ecclesia & schola forte ex mutatione functionis aliquid detrimenti accipere videri posset: existimo tamen, te in illa statione politica non minus, imo forte plus Ecclesiæ & scholæ commodare posse, quam antea.* Itaque cum senatui populoque in hoc magistratu consulendo agendoque feliciter

biennio circiter adfuisset, legatione etiam Transmontana prudentissime defunctus, Ecclesiæ ordinis Ecclesiastici precibus reddebatur. Ita enim ad eum Tossanus anno 1601.
 „*Næ tu beatus es, quem jam politicus ordo, jam*
 „*Ecclesiasticus apud vos vindicare sibi cupit.*
 „*Ergo non est Catholica vetus illa παροιμία;*
 „*ὅδεις προφήτης δευτεροῦ ἐστὶν ἐν τῇ παλαιᾷ αὐτῆ.*
 „*Tu sic gubernasti ad tempus Rempublicam, ut*
 „*natum te esse cives tui gaudeant, sic scholæ*
 „*& Ecclesiæ præfuisi, ut non conquieverit*
 „*Ecclesiasticus ordo, donec ipsi restituereris.*
 „*Et sane (meo iudicio) omnino elegisti τὴν*
 „*ἐξάνθη μείδα, hoc præsertim tempore, quo*
 „*tanta est penuria Theologorum sine super-*
 „*cilio doctorum, & scribarum doctorum in*
 „*regno cœlorum.*

§. 12. Rediit igitur ad res Theologicas & Ecclesiasticas tractandas, in quibus ita feliciter, tantaque cum laude versatus est, ut anno 1614 primum in Ecclesiastico ordine locum obtineret. Cum tamen jam tum annum vitæ 71. attigisset, & alias videatur voce usus minus jucunda, concionandi oneri non ultra, quam ipse vellet, adstringebatur. Hoc illustri difficilique munere integris viribus usque ad annum 1622. ex omnium voto functus pridie Calend. Septembreis magno bonorum omnium luctu obiit Scaphusii annos natus 79. Ex felici, quo utebatur, matrimonio nati ipsi sunt cum filius Johannes Jezlerus &

ex hoc nepotes Stephanus, Rodolph. Jezleri, qui Theologi etiam cum essent, eruditione magis & pietate, quam nominis celebritate ad parentis avi que gloriam accesserunt, tum filia nupta Joh. Conrado Kochio ipsius successori, qui synodo Dordracenæ Ecclesiæ Scaphusien- sis nomine interfuit.

§. 13. Libros, quos varia eruditione or- natos edidit, ex catalogo, quem ipse non adjectis aliis circumstantiis consignavit, se- quentes deprehendi

Schematismos succinctis lemmatibus universum complectentes Christianismum, desumptos ex solida Joh. Calvini de Religione Chri- stiana institutione, quibus sublevari po- test non tam memoria, quam intellectus eam legentium.

De *virtute* librum unum, uno veluti fasciculo amplectentem omnia, quæ generatim de ea passim in libris suis moralibus tradidit Aristoteles.

In librum primum offic. Cic. commentarium, artificium scriptoris potissimum demon- strantem.

Veteris Testamenti viros illustres duodecim, seu patriarcharum præcipuorum atque Pro- phetarum vitas.

De *vulgari sacre Scripturæ pbrasi* libros duos, quorum prior de peccato in Spiritum San- ctum, quod alias ad mortem, irremissibi- le vocant, tractat: posterior vero diffi-

cillimos quosque & obscurissimos utriusque instrumenti locos hactenus a multis male intellectos, & pejus adhuc interpretatos summa cum diligentia & fidelitate explicat, authore *Patricio Cockburno*, Scoto. Hactenus in Germania non visi, nunc vero opera Joh. *Jezleri* Scaphusiani denuo editi, & multis locis aucti, nec non indice locupletati.

Vocabularium Latino-Germanicum pro schola Scaphusiana.

De fructu mortis dominicæ. Basileæ prodiit anno 1593.

De diuturnitate belli Eucharistici: qui libellus Tiguri anno 1584. typis expressus est.

Contra Huberum etiam duos libellos scripsit, & de carne Christi ejusque gloria, ut etiam *Eine Schrifft wegen der Prediger zu Straßburg lästern und schänden auff der Cansel.*

§. 14. Qualis vero Johannes Jezlerus, dum viveret, fuerit, & quam præclare de eo cum patria, tum vero, qui extra patriam tum temporis celebrabantur viri eruditi senserint, & ex literis patet, quæ plurimæ ad eum scriptæ sunt, atque edi aliquando, si id e re literaria futurum existimaretur, facile possent, & ex his Epitaphii, quod Scaphusii adhuc legitur, verbis cognoscere est.

„Reverendo & doctissimo viro Domino Johanni
„Jezlero insigni Theologo, patriæque Ecclesiæ Deca-

no meritissimo, qui ob variarum linguarum
 artium, doctrinaeque caelestis, sacram solidamque
 scientiam inter clarissimos orthodoxae fidei docto-
 res merito numeratus Ecclesiae salutis, scholae & rei-
 publicae commodis summa cum moderatione an-
 nos circiter LII. fideliter inservivit, scripta quoque
 edidit sanctis doctrinis, piis consiliis & consola-
 tionibus refertissima, quibus propter multiplicem fru-
 ctum, pacisque Ecclesiasticae studium magnam apud
 externos nominis gloriam acquisivit, cujus egre-
 gias virtutes ac rara Dei dona, quae in eo relu-
 xerunt posteritas immortalitati jure mandabit,
 seni emerito, Praeceptorum affini, contribuli, &
 collegae quondam optatissimo Henricus Schüartzius
 V. J. D. Reipublicae pro tempore Cos. hoc, quod su-
 premum honoris officium habuit, memoriae causa &
 gratitudinis ergo P.

§. 15. Postquam igitur ea persequuti su-
 mus, quae de vita Joh. Jez'eri cognoscere
 potuimus, jam ad recensionem libelli acce-
 dimus, cujus plenior titulus hic est; Johan-
 nis Jezleri Scaphusiani de diuturnitate belli
 Eucharistici liber unus: in quo causae notan-
 tur, per quas haec tenus videtur stetisse, quo-
 minus partes litem sustinentes inter se sint
 conciliatae. Tiguri apud Christ. Froshove-
 rum 1584. Titulo subjungitur divinum
 Pauli ex 2. ad Cor. cap. 13. vs. 11. praecipuum.
 Hunc vero suum libellum Illustrissimo Prin-
 cipi Joh. Casimiro, comiti Palatino &c. ad-
 ministratori Electorio cum propter illius, il-

Iustissimique parentis virtutes, in quibus maxime laudat litis Eucharisticæ componendæ, sedandæque tempestatis sacramentariæ studium: tum vero eo maxime consilio dedicasse videri vult, ut Principis hujus laudatissimi auctoritate libellus iste in Procerum Germaniæ manus incideret, qui perspectis veris Eucharistomachiaë causis eo felicius sua auctoritate componere hoc bellum possent; utque publico Antistitum suorum nomine gratias ageret Serenissimo Principi, quod illius gratia atque cura Scaphusiensium alumni Neostadii liberaliter instituerentur. Negat vero aliud sibi toto hoc libello propositum esse, quam ut relicta cuivis de S. Cœna sentiendi libertate, impedimenta recenseret, per quæ sexaginta jam tum annis steterit, quo minus exitiale de Eucharistia dissidium sit compositum, atque hac ratione viam paci atque concordiaë sterneret.

§. 16. Postquam itaque monuit in iis bellis, quæ ab initio repurgatæ per Germaniam Ecclesiæ gesta sint, solum bellum Eucharisticum videri *ἀσπονδον* & *ἀκαταδικαστον*, & quicquid in conciliando tentari potuerit, id frustra hætenus omne summo totius Reipublicæ Christianæ non tantum cum dedecore, sed etiam detrimento, fuisse tentatum, neque quæ aliquando affulserit pacis spem diuturnam fuisse, sed quæ jam credita fuerit ad orcum detrusa, in lucem denuo revocatam esse *ἔειπεν*: auctor diver-

diversas hujus funesti belli causas esse docet, aliam enim esse penes phrasin Scripturæ, hoc est, explicationem verborum Christi discordem, aliam penes communem generis humani hostem cacodæmonem, aliam penes justum vindicem Deum, aliam penes magistratum tum politicum tum Ecclesiasticum, alium penes hominum vulgus, aliam penes certa quædam vitia personarum in Ecclesia docentium, & quidem magna ex parte, aliam communiter penes omnes. Has auctor in primariam & secundarias dividit. Illam discordi tribuit verborum Christi, hoc est corpus meum, interpretationi, eamque tradit Ludovicum Lavaterum virum antiqua fide, eruditione, & morum integritate ornatissimum exposuisse, ostendendo a quibus, quando, qua occasione, quo modo, & contra quem verba institutæ cænæ sint vel hoc vel illo pacto accepta atque declarata; Has vero se primum tanquam primariæ causæ nutritrices atque famulas expositurum. Ordine igitur illas proponit numero septemdecim, de quibus singulis quid sentiat auctor, paucis monebimus.

§. 17. Primam igitur causam secundariam statuit auctor Cacodæmonis *Σατανæ* esse. Satanam ab initio Evangelii ad nostram usque ætatem semper id egisse, ut quemadmodum de aliis articulis fidei, ita quam maxime de S. Eucharistia discordiarum atque dissidiorum

lolium sereret aleretque. Quo major Eccle-
 siæ diligentia atque vigilantia extiterit in re-
 liquis hæresibus opprimendis extirpandisq;
 eo lætius videri adolevisse & diffudisse sese
 lolium Eucharisticum. Per singulas deinde
 historiæ Ecclesiasticæ periodos ostendit,
 nunquam non fuisse, qui vel de verbo-
 rum institutionis sensu disceptarent, vel de
 symbolorum numero, qualitate, figura, di-
 gnitate, & honore, vel de Christo cibo cœ-
 lesti & invisibili, vel de transmutatione alterius
 in alterum, vel de organo & manu percipien-
 di utrumq; vel de usu & fructu, vel de vasis, vel
 de loco, vel de tempore, vel de ætate, digni-
 tate cœnantium, vel de ministris, vel de ri-
 tibus & cæremoniis externis. Ex his autem
 patere nullum esse religionis Christianæ ca-
 put, si à sacrosancta cœna discesseris, quod
 tam misere semper & tam fœde depravatum
 sit. Cacodæmonem superioribus sæculis
 edoctum, quantum damni Ecclesiæ Dei his dis-
 sidiis Ecclesiasticis intulerit, omnium virium
 contentione callide eo niti, ut bellum hoc
 magis magisque producat. Licet enim
 hæctenus plures fuerint, qui hoc bellum com-
 positum vellent, Satanam tamen semper huc-
 usque discessisse superiorem. Quod gravis-
 simo Lutheri & exemplo, & testimonio con-
 firmat. Eum enim in epistola ad Helvetios
 inter alia promisisse, se omnem posthac ma-
 levolentiam depositurum esse animo, atque
 ora-

orare magnopere, idem ut & ipsi faciant vicissim. Paulo post vero subjungere: licet nos summis viribus in id incumbamus, summo tamen nihilominus egemus Dei & consilio & auxilio, siquidem noster & communis concordiae hostis Satan facile inveniet suos, qui truncos & saxa objicient, omnemque lapidem movebunt &c.

§. 18. *Secundam causam facit ἀκαταστάσιον θεῶν.* qui qua re magnopere peccemus, ea ipsa nos puniat. Nihil fere magis profanari a nobis quam S. coenam. Explicationis discrepantiam, opinionum varietatem, librorum multitudinem, nimiam doctorum auctoritatem, caecam auditorum ignaviam efficere, ut pauci cœnæ negotium ea qua deberent, ratione intelligant. Accedere deinde, quod nihil minus quam humilitati, quam contritioni, quam veræ fidei atque fiducia, quam novæ obedientiæ in Sacrae cœnæ usu studeamus, sed contra omni vitiorum generi serviamus. Ipsos pastores ecclesiarum nullo unquam fere tempore Christianæ dilectionis præcepta magis transgredi, quam iis ipsis diebus & horis, quibus celebranda cœna Domini sit: dum ensẽm acutissimum in symmystas & fratres stringant, atque publice eos condemnent, qui ejusdem salutis sint participes, qui communibus armis communem hostem oppresserint, qui a sacrae scripturæ vestigiis, ab analogia fidei, & ab orthodoxo patrum con-

sensu non discedant. Quod igitur de Gen-
tilibus Paulus dixerit ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς δια-
λογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοπόθη ἡ ἀσυνετοῦς αὐτῶν καρ-
διά, quoniam γινόντες τὸν θεὸν εἰς ἴσον εἰδοξάσαν
ἢ εὐχαριστήσαν. Id de nobis vere adfirmari
posse. Deum cæcitatem cæcitate punivisse, &
primum bellum subsequutis aliis Sextum
jam tum bellum parari. Omnibus illis bellis
pugnatum invicem esse irrisionibus, sarcas-
mis, odiis, contemptu, obtreccionibus, ca-
lumniis, pasquillis, omnis generis injuriis,
exiliis, condemnatione. Alia ex aliis nasci.
Primum certamen nova peperisse justo Dei
judicio certamina de hypostatica duarum na-
turarum unione, de communicatione idio-
matum, de Christi ascensu, sessione ad dex-
tram patris &c. Verum etiam hic esse nimi-
um altercando veritatem amitti.

§. 19. Tertia causa auctori videtur esse δε-
κίμασια. Eucharistiomachiam omni opinione
plura majoraque parere mala, quibus uti ma-
li puniantur, ita bonorum & fides, & pati-
entia probentur. Lutherani cum Pontificiis
Eucharistiomachis, comparantur ostenditurq;
parum abesse, quin illi cum his similia circa S.
Coenam non sentire tantum, sed etiam fa-
cere interdum videantur. Bellum Eucharisti-
cum esse Dei examen, quo universo mundo
declaret, quid quilibet ex doctrina Evange-
lii hauserit, esse ventilabrum, quo triticum a
paleis secernatur, esse aquam, qua tanquam
mil-

milites Gideonis secernantur, qui ad Christianam militiam sint idonei, esse denique ignem, qui aurum, argentum, & gemmas a ligno, fœno, & stipulis sejungat. Probata sic fuisse Athanasii fidem, atque constantem patientiam docet instituta comparatione inter certamen Arianum & Eucharistomachiam. Illiusque exemplo eos omnes solatio erigit, quibus ex hoc certamine carceres, tormenta, exilia sustinenda sint.

§. 20. *Quartam* causam existimat auctor esse docentium τοῦ ἀγαν φρονεῖν, qui argumentando longius abeant, quam oporteat, qui clariora explicent per obscura, qui novas cudant loquendi formulas, qui effari conentur infanda. Dum per unionem personalem, per sessionem Christi ad dextram patris, per essendi modum definitionum præsentiam corporis Christi doceant. Ad Scholasticos nos confugere, ad Scotum, ad Thomam, ad Lombardū & alios, & ab his petere a Scriptura aliena distinctiones, scil. definitiones essendiq; modos. Hanc esse, σοφίαν ἀνθρώπινην ἐν διδακτοῖς λόγοις: non vero τὰ θεσφύματα πνευματῶν. Τακτικὰς δειπνὰς οἰκείας & propria non ἀλλοτρίως spectanda. In propriis refert potissimum ipsa verba institutionis, Pauli explicationem, & cognata sacramenta cum Veteris Testamenti tum Novi. Eas hic phrasas adhiberi, quas nec acutissimi veterani, ne dum tyrones intelligant. Hac obscuritate nodum non dissolvi

solvi, sed magis implicatum arctius constrin-
gi. Sentiendum hic esse cum sacra Scriptu-
ra humiliter, & loquendum cum pia vetu-
state simpliciter omnibus novis definitioni-
bus, distinctionibus, quæstionibus & limita-
tionibus explosis. Phrasium obscuritate &
novitate effici, ut cum pedem unum olim
distarem, nunc distare videmur aliquot
millia. Rectius primorum certaminum au-
ctores verbis potissimum Christi nixos fuisse,
donec disputationis fervor aliena submini-
strarit. Facere nos etiam hic, ut intelligen-
do nihil intelligamus.

§. 21. *Quinta* causa videtur ἀπαιδευσια sive
ignorantia docentium. Paulum in docen-
te requirere ut sit ἀντεχομενος τῶ πῶς λογῶ, ut
sit ἰκανὸς διδάσκει τῶς ἐπερῶ, ut sit ἐπισομιζων ἰσῶ
ἀνπλεγοντας. Sed hæc non reperiri nisi in iis,
qui majori cum contentione, quam plerum-
que fiat, in eo elaborent, ut prius fidei præ-
cepta atque mysteria accuratius ipsi cogno-
scant, quam alios edoceant. In scholis æque
atque in Ecclesiis nihil fere audiri, quam Eri-
stica, ex rivulis peti, quod esset hauriendum
ex ipsis fontibus, certamina inspicere, postillas
lectitari, compendia percurri, recentiores in-
terpretes ad manum haberi, sacro codice
vix semel inspecto; plerosque fere prius do-
cere, quam didicerint. Experientiam quotidie
docere, quo contentiosior atq; rixosior quisq;
sit, eo illum etiam imperitiorem, minusque
ab

ab iis instructum esse, quæ in Theologo erudito requirantur. Verum sacramentorum rationem cognosci non posse, nisi cognoris quid homo & qualis ante conversionem, in conversione & post conversionem, quid sit illud, quod iustitiam Christi, remissionem peccatorum, reditum in gratiam cum Deo, hæreditatem denique regni cœlestis impetret & consequatur, deinde qualem se Deus nobis patefecerit. Plerosque his nondum accurate perspectis sibi persuadere, se tenere omnem sacramentorum rationem, licet in his nihil clari, nihil distincti videant. Hinc alios parum Sacramentis tribuere, alios nimium. Philosophorum hic & Ethnicorum scripta eo nomine commendat, quod & multa ipsorum sint dona Spiritus Sancti. Recte concilium Toletanum quartum decrevisse, ignorantiam fugiendam esse sacerdotibus, ceu cunctorum errorum matrem.

§. 22. *Sextam* causam esse *πυροπεριστασιν* sive Theologorum nimis acre in docendo, atque etiam in scribendo iudicium contra illos, qui cum Christum ceu unicum salutis fundamentum teneant, alicubi tamen errare adhuc atque cœcutire deprehendantur. Neminem purum esse a nævo, & ab omni immunem errore. Plerumque eum, qui unum aliquod vitium in proximo carpat, obnoxium esse compluribus, & quandoque decuplo gravioribus. Non esse, non fuisse, non futurum, qui

qui non in uno alterove articulo hallucine-
 tur aut impingat. Descendendum in nos
 ipsos esse, & quam ab aliis vellemus nobis
 errantibus præstari *συμπάθειαν* & clementi-
 am, eandem erga alios quoque declaran-
 dam. Ex Epist. ad Rom. cap. 14. Eleganter
 docet auctor, quam pacis studio moderate
 neque cum *ἐξιδερισμῶ* de illorum a nobis
 dissensu judicandum sit, qui idem *θεμελιον* ha-
 beant. Non omnes ex æquo sapere, alios a-
 liis plura aut pauciora accepisse talenta. O-
 mnia simul & semel uno momento non co-
 gnosci. Christum, qui vehementer errantes
 discipulos facile tulerit, docueritque, exem-
 plum nobis reliquisse, quomodo rudes, tardi,
 stupidi tractandi sint. Sic Irenæum olim
 merito nimiam Victoris severitatem repre-
 hendisse. Sic Cyprianum cum quæstio de
 rebaptizandis hæreticis utrinque acerrime
 versaretur, de hac ipsa, dixisse, ne quid sen-
 tiamus singuli proferamus, neminem judi-
 cantes, aut a jure communionis aliquem, si
 diversum senserit, amoventes. Non levio-
 ris hæc fuisse momenti, quam causa Eucha-
 ristica sit. Ibi de paschate, hic de Baptismo
 actum. Quodsi plures ejusmodi Irenæos,
 Cyprianosque hodie haberemus, omnia cen-
 tuplo futura pacatiora atque tranquilliora.
 Comparationem deinde instituit inter sen-
 tentiam *των ῥητιῶν* & *των διανοηῶν* (per illos qui
τὸ ῥητόν in verbis Institutionis sequuntur in-
 tel.

telligit auctor, per hos, qui *την διανοιαν*, quam
 vocum novitatem eo excusat, quod facilius
 admitti posse existimet, quam nomina Luthe-
 ranorum & Zwinglianorum,) ut ostendas
 utrosque in fundamento de S. Cæna esse
ὁμοφρονας. In omnibus enim conflatum de S.
 Cæna consensum esse, in uno & solo modo
 hæere omnem nodum, in modo, inquit,
 quem utraque pars confiteatur *ἀρρητον, ἀλα-
 λητον*. *ῥησις* adfirmare, se edere carnem
 Christi ore corporis corporaliter, contra
διανοησις ore cordis fidelis per spiritum spiri-
 tualiter. *ῥησις* si urgeantur, adjicere natu-
 raliter non naturaliter, corporaliter non cor-
 poraliter, physice & tamen hyperphysice,
 hoc nihil aliud esse quam *ἀρρητως & ἀλαληως*.
 Utrosque modum accurate se definire posse
 negare, sed eos nihilominus non tantum de-
 finire, quem nesciant modum, sed etiam eos
 damnare, qui modum, quem damnatores
 definiant, nolint admittere, quod eum cum
 ipsis illis se nescire profiteantur. Quid igitur
 durius esse possit, quid amarulentius, quid
 crudelius, quam toties clamare *διανοησις*, qui
 in uno hoc modo dissentiunt, nolle credere
 verbis Christi, Christi negare omnipoten-
 tiam, Christi pervertere testamentum, Christi
 cum Arianis impugnare Deitatem, Christum
 cum Nestorio dividere, accedere ad Maho-
 metismum, non dignos esse hac luce, Tur-
 cis & Judæis longe esse deteriores, imo de-
 ter-

terrimum omnium, quos unquam terra susti-
 nuerit. Joachimi Westphali esse diram &
 erudelem vocem, Sacramentariorum calu-
 mñas rectius sceptrō majestatis civilis refu-
 tari, quam argumentis, martyres Anglos
 atque Gallos Diaboli esse martyres. *Τῆς δι-
 αλονίας* contra nunquam non *τῆς ῥητισίας* in fra-
 tribus habuisse, nunquam non paci atque
 concordiaē, quantum quidem per adversa-
 riorum criminationes licuerit, studuisse.

§. 23. *Φιλονεικία* sive ardens Theologorum
 non tantum contendendi, sed & vincendi
 studium *septima* belli Eucharistici causa
 auctori nostro constituitur. Iracundos leniter
 tractatos uno atque altero interdum verbo
 rursus placari: contentiosos vero omnem re-
 conciliationem respuere, quibuscunque tra-
 ctentur modis, nec quiescere, donec vel
 optata consequantur, vel saltem videantur
 consecuti. Habere contendendi libidinem
 ista, quæ sequuntur propria, ultro in arenam
 descendere, quamvis non laceffitum, de re-
 bus pugnare obviis, quibusvis, etiam non
 necessariis, suis inhærere, licet infirmiori-
 bus, & forte dudum refutatis, aliena etiam si
 validiora sint, non modo non recipere, sed
 spernere insuper, & pertinaciter respuere,
 omnia denique in hunc finem dirigere, ut
 aut vincat, aut saltem vicisse videatur. Ista
 vero omnia in nostri sæculi, inquit. Theolo-
 gis passim ita deprehendi, ut probatione non
 mul.

multa sit opus. Culpam cœpti belli Carolo-
 stadio videtur tribuere, cujus fuerit potius
 verba verbis privatos inter parietes refutare,
 neque aureum illum funestum infelicis hujus
 belli ducem facile admissurum fuisse, nisi jam
 antea in pugnam prodire constituisset.
 Quod si hic Protésilauus non primus scripto pu-
 gnam cœpisset, negat auctor, bellum Euchari-
 sticum unquam in eam flammam erupturum
 fuisse. Bello huic temerario temere involu-
 tos contendendi studio Andabatarum more
 pugnare. Ex contendendi tantum studio
 profectum quicquid belli Eucharistici sit, ex
 eo demonstrat, quod neque dissensus tanti
 existimari possit, ut propterea tantum bellum
 excitaretur, & huc usque propagaretur, ne-
 que cuique parti sua desint argumenta. Pri-
 marium, & proprium controversiæ statum
 tantum in eo esse, fuisse, & futurum inter
 eruditos, utrum verba institutionis simplicia
 sint, & propria, an vero modificata & infle-
 xa quodammodo. Propria ῥησις defendere,
 quia Christus tempore tristissimo cum A-
 postolis ludere verborum tropis noluerit.
 Contra tropum tueri διανοησις, quod hæc sa-
 cramentorum ratio sit, quod verba poculi
 (quod ne pervicacissimi quidem ῥησις nega-
 re possunt) per omnia sint tropica, quod
 vetustas magna ex parte tropice acceperit,
 quod ex literalis sensu multa videantur conse-
 qui absurda. Tantam esse quorundam φιλο-

veixiav, ut fuerint, qui in angustias redacti aperte professi sint, malle se errare cum Luthero, quam cum Zwinglio recte sentire. Qui de cœna dimicent, sæpius imitari concionatores, qui sive ex inscitia, sive ex infirmitate memoriæ, sive latratu canum, sive vagabundis cogitationibus a proposito abstracti dicant, quicquid in buccam venerit pro suggestu, etiamsi ad rem nequaquam pertineant, tantum ne ex silentio habeantur indocti.

§. 24. *Octavam* causam existimat auctor esse impatientiam, qua quis nihil ferre potest eorum, quæ quæcunque ratione contra se dicta aut facta esse existimat. Quod si, inquit auctor, utriusque partis inspexeris Theologos, tantam profecto in plerisque impatientiam invenes, quantam vix in ullo hominum ordine alio. Quod ut auctor noster confirmet lepidum tradit convitiolorum, quibus qui bellum huc gesserunt, tanquam telis, invicem infimæ & abjectissimæ instar plebis pugnarunt historiam atque catalogum. Cum *stavovsai* suam sententiam exponerent ab adversaria parte nuncupatos fuisse Zwinglianos, tropistas, Svermeros, fanaticos, Enthusiastas, Aristotelicos, Kænodogmatistas. Dianoiistas vero quosdam carnis affectum secutos par pari reddidisse, & *ρηντας* vocasse vicissim Lutheranos, Capernaitas, metusiastas, localistas, fynusiastas. Hæc cum intelligerent *ε'ηται* duriora reddidisse Dianoiistis, quos menda-

ces, falsarios, Sacramentiperdas, cerruptores Testamenti Christi, Ψυχοφαγος, ψυχοκτονος, ruentes in tartara, αυτοκατακρητες dixerint. Durius appellatos διασησας etiam duriora reddidisse, & της ρηπσας vocasse Anthropophagos, sarcophagos, hæmatopotas, Thyestas, carnifices, Christicidas, αρετολατες, Dei impanati cultores, Eutyechianos, Svenckfeldianos, everfores complurium articulorum fidei Apostolicæ. Hæc cum viderentur ρηπσας asperrima, tota convitiõrum plaustra in dianoiistas evomuisse, dum eos convictos hæreticos, dæmoniacos, diabolis ex omni parte ante, pone, supra, infra, intus & extra obsessos, diaboli martyres, gladio potius quam verbis refellendos, abarcendos a sacris, ex Ecclesia extirpandos funditus, fugiendos omnibus bonis, indignos pro quibus oretur Deus, ex foederibus regum atque principum excludendos, annumerandos Anabaptistis, Nestorianis, Arianis, Turcis, & ut paucis, omnia complecterentur, omnium mortalium, quos unquam terra sustinuerit, longe deterrimos, nec non in sempiternum damnatos. Ut adeo mihi non videantur de veritate, de verbis scripturæ, de fide atque charitate sed de eo contendisse, uter alterum calumniando, conviciandoque superare posset. Pulcrum hoc quidem, & Theologis, si Diis placet, dignissimum certamen. Dolendum magnopere esse recte monet auctor; quod Christiani,

imo Christianorum duces Theologi eo usque impotentiae & pusillanimitatis procedant, ut obvio quovis convitio tantopere commoveant, ut gentiles fuerint, qui longe aequiori animo graviores multo injurias tulerint. Christum potius imitandum, qui cum helluo, cum *φιλαμαρτωλος*, cum *φαγος*, cum *εινοποιος*, cum impostor, cum obsessus daemone, cum Beelzebub, cum Samaritanus, cum *Ιελωνης*, cum seditiosus cum contra Caesarem, contra Mosem, contra legem, contra templum loqui & facere, cum denique blasphemus contra ipsum Deum diceretur, cum capto, cum in cruce pendenti dirosque cruciatus sustinenti illuderetur, ad quaedam interdum muti instar prorsus conticuerit, ad quaedam responderit, & quidem graviter, sed absque calumniis non par pari rependens, ut nos soleamus, ad alia non refutando, sed orando potius, & intercedendo: licet convicia contra Christum eo graviora, & iniquiora dicenda sint, quod nihil eorum vere dictum in dominum nostrum, in nos vero aliqua verissime dicantur. Cum nostrum esset discere a Christo, qui mitis sit, & humilis corde, cum *λοιδορευμενοι* non deberemus *ανηλοιδορειν*, memores illius *μακαριοι οι πραεις*, & ferienti dextram maxillam, etiam sinistram ferendam obvertere: nos contra percutientem repercutere, adimenti adimere, ejicientem ejicere, capientem capere, proferentem pro-

proscribere, excommunicantem excommunicare, ex Ecclesia exterminantem exterminare vicissim, cum primum locorum atque temporum aliqua sese nobis offerat occasio. Similes hos Theologos hac in parte esse Apostolis, qui cum in vico quodam Samariæ tantum non susciperentur, rei indignitate commoti, si penes ipsos fuisset, igne cœlitus demisso omnes incolas absumsissent. Ultionem Deo relinquendam.

§. 24. Octo his causis alias adhuc subjungit auctor, quas vero non prorsus ejusdem ait, ponderis atque dignitatis. *Nonam* adeoq; esse ἀποτειροεπισκοπιαν, qua quidam doctores Ecclesiastici πολυπραγμονες, φιλοπυμοι, φιλαρχοι, κερδοξοι, alienam invadant διοικησιν conantes aut precario, aut minis, aut rationibus subdolis ad suæ doctrinæ castra traducere, qui fidei suæ commissi non sint. *Decimam* vocat ἀρχαισμον, nondum satis intellectum, sive dubiam in multorum animis & ancipitem patrum auctoritatem, utraque parte pro se stare hos vel illos patres ad ravim usque clamante. *Undecimam* causam negligentiam perhibet magistratus politici esse. Cui, cum negligentior sit in fidei capitibus, sacramentorumque doctrina cognoscendis, in ejusmodi controversiis ex ore aliorum dependendū sit, cujusvis adeo fraudi & imposturæ exposito. Sententiam sæpius dici altera parte aut prorsus nunquam, aut per calumniatores duntaxat

audita. Nimum magistratum civilem laxare habenas turbulentis scriptoribus. *Duodecima* causa perhibetur esse librorum alterius partis interdictio. Constantinum magnum in Synodo Nicæna supplices Episcoporum libellos, quibus lites inter se privatas exercuerint, benigne susceptos simul & semel omnes combussisse, & hac ratione sustulisse privata Episcoporum dissidia. Quod, si, inquit auctor, pari modo de cœna scripti libri Vulcano immolarentur iis tantum exceptis, in quibus privati abessent affectus atque calumniæ, ita me Christus amet, bello sacramentali non postremus incideretur nervus: siquidem constat, a multo maxima parte privatum commodum atque honorem in hoc bello quæri non publicum. *Decimam tertiam* causam iudicat esse omissionem Synodorum rite convenientium. *Decimam quartam* inde arcessit, quod cum in Academicis iis sæpe, quos neque eruditio neque prudens pietas commendet, honores Academici conferantur, isti quoniam in aliis non possint, in causa atque lite Eucharistica zelum & eruditionem suam contendendo ostentent. *Decimam quintam* adfirmat esse patetorum violationem. Marpurgi decretum esse, pacem utrinque colendam, & a contentiosis & amarulentis scriptis abstinendum, sed vix triennium hæc observata esse. Pacificationem Wittenbergicam, in qua quam animi utrinque pacati atque conjuncti fuerint

Lutheri ad Helvetios, & Helvetiorum ad Lutherum literas significare, sequutam esse subitam præter omnem expectationem animorum alienationem.

§. 25. *Decimam sextam* esse ἀνθρώπων παρρησίαν, quo vitio qui laborent, eos uti cuncta ita etiam ea, quæ ad sacram cœnam spectant, dicere atque facere ad gratiam vel superiorum, vel inferiorum, vel æqualium contra conscientiam, idque tantum ne de suo dimoveantur loco, & dignitate, utque ea consequantur, quibus exciderent, si libere dicerent, quæ ipsis de causa Eucharistica viderentur. *Decimam septimam* tandem eandemque ultimam causam belli hujus docet esse illud αὐτός ἐφ' ἑσέ Pythagoricum. Vulgatum hominum ita affectum esse, ut quos charos habeat, & miretur ob excellentiam donorum, plerumque plus illis tribuat, quam æquum & par sit. Hinc, quicquid ab ejusmodi viris proficiscatur, sit licet interdum etiam minus laudandum, in cœlum laudibus efferri, & mordicus retineri atque asservari non secus, ac si dictum factumve ab ipso esset Deo. In doctrina de cœna maximam partem ita captam atque constrictam esse auctoritate sive Lutheri, sive Zwinglii & Calvinii, Lutheri tamen imprimis, ut si forte Angelus descenderet de cœlo, & ab eo doceret diversum, non facile sit inventurus fidem. De Demetrio decretum Athenis fecisse Stratoclem πανὸς, τιαν βασιλευς Δημητρίος κελευση τῆτο κρη πῆος θεος ἰστων

καὶ πρὸς ἀνθρώπους εἶναι δίκαιον. Idem nobis statutum decretumque esse de nostræ fidei antesignanis. Si ut cæteras, ita & sacramentales lites velimus compositas ad ἀμειψα de- currendum esse, ad ἀυποπιστα, ad ἀυτομολογη- μενα, ad ἀναποδεικτα sacro sanctæ Scripturæ Canonica & authentica. Quæ vero nostra sint & doctorum nostrorum placita, ea pro scæno, stramine, & stipulis habenda esse, donec ad Lydium lapidem hoc est, Prophe- tarum & Apostolorum Canonem revocata au- ro & argento corresponderint.

§. 26. Tandem libellum huncce suum au- ctor concludit, quæ vero melius, uberiusque hac de causa dici possint, illis relinquit, qui ipso Doctrina, ætate, rerum usu & auctori- tate longe sint superiores. Se, quæ dicere potuerit, dixisse; cumque causas jam expo- fuerit, quæ bellum Eucharisticum foverint a- luerintque, optimum quemque præclare in- telligere, si bellum sacramentale ex animo & sincere velimus sublatum, in eo nobis esse elaborandum, ut enumeratas causas tolla- mus. Ea deinde paucis recenset, quæ sin- gulis causis opponenda existimet. Quæ ita facile colligi ex ipsa causarum tractatione possunt, ut opus non sit, in hac ipsa reme- diorum recensione diutius versari. Causis his, quas ipse exposuerit tanquam famulis at- que pedissequis amotis, discordem verborum Cœnæ interpretationem ceu Dominam diffi- dii,

dii, solum quoque vertere coactum iri existimat. Famulis vero retentis; quæcunque pacificationis tententur remedia, frustra laboratum iri metuit. Optat denique Deus T. O. M. det, ut per Christum acquisitæ pacis consortes, pacem quoque inter nos colamus terrenam, illius cœlestis certissimum indicem, quo validiore cum manu, cum fuerit opus, veritatis hostibus possimus resistere.

§. 27. Ex his vero, quæ hæctenus recensui, facile quemvis intelligere existimo, veri nominis Theologum nostrum auctorem existisse, qui per totum hunc libellum conjunxit cum vera eruditione atque pietate animum uti a partium studio alienum, ita pacis atque concordia studiosissimum. Licet enim præ se ferat, quid ipse de Sacra Cœna sentiat, ita tamen diversa sentientium vitia recenset, ut merito ne suis quidem parcat, quos, licet rectius sensisse existimet, in toto tamen hoc bello, nimium etiam affectibus suis interdum serviisse non diffiteri videtur. Quibus vere significavit, quam sibi hæc contentiones & Christiana religione, & omni ratione indignissimæ videantur, quamque ipse cum piis omnibus ita veritati studeat, ut ex Dei præcepto, etiam amoris, pacis atque concordia desiderium adjungat. Neque profecto dubitari potest, si quam æquæ pacis conditiones sunt, quas descripsit, tam etiam illius consilium omnes sequeren-

tur, brevi jucundissimam pariter atque firmissimam futuram pacem. Itaque quam præclare de hoc Jezleri libello, ipsoque auctore viri eruditissimi tum temporis senserint facile exteris perspicui potest, quæ MSS. adhuc exstant. Nobis præ reliquis & ob auctoris celebritatem & eo potissimum nomine, quod & vera dicat & ab omni adulatione aliena testimonium doctissimi Danielis Tossani
 „ magnopere placuit. Ita vero ille literis anno
 „ 1586. ad Jezlerum exaratis. *Liber tuus*, inquit,
 „ *de causis diuturnitatis controversiæ Eucharisticæ* &
 „ *mibi*, & *moderatis omnibus imprimis placet.*
 „ *Sed non desunt, quibus omnibus aliis polemicis*
 „ *scriptis acerbius esse tuum videatur: quia fere*
 „ *utramque partem accusare videtur ὑπερφροσύνης,*
 „ *ἀπαιδευσίας, πικροχειρίας, καὶ φιλονεικίας.* Sed
 „ *ut ille ait, Jupiter ipse sive pluat, sive non pluat,*
 „ *non omnibus placet. Libellum illum certe magni*
 „ *faciunt Anibaldiini Theologi viri doctissimi. Ubi*
 „ *Harnisius ex nundinis reversus fuerit, auctor ei*
 „ *ero, ut eum recudat. Ceterum nescio, quid sim*
 „ *ab eo impetraturus, est enim satis morosus.*

§. 28. Sed sunt profecto ex iis, qui Lutherum sequi videri volunt, qui facile mihi largiantur, non esse majorem uti Jezlerus nosse docuerit circa S. Cœnam dissensum inter Protestantes, quam qualis esse inter eos solet, qui eundem scripturæ locum maximam quidem partem eodem modo, sed in paucis quibusdam circumstantiis diverso, veruntamen

ita explicant, ut nihil contra rationem, nihil contra reliquam Scripturam sentiant: sed longe majorem, & difficiliorem adhuc præter ea quæ ad unionem atque communionem duarum in una Christi persona naturarum referuntur, sententiarum discrepantiam de æterna prædestinatione, vocationisque & gratiæ divinæ ratione alios ab aliis tam longe sejungere atque distrahere, quam olim Manichæi ab orthodoxis distincti fuerint. Verum enim vero, nihil mihi nosse videtur, qui arbitratur, omnem illam controversiam de naturarum unione, atque communionem ex una illa de verborum institutionis propria vel tropica explicatione non pendere, neq; primos fidei Lutheranæ statores nobiscum de prædestinationis gratiæque necessitate, & voluntatis nostræ servitute sensisse. Sed de his alias uberius.

JO. GEORG. SCHEL-
HORNII,

Memmingensis,

De **כַּלְכַּל** ad Job. XL: 31.

Dissertatio.

Συνοψις.

כַּלְכַּל Bocharto est telum piscatorium, nobis cymbalum, cujus sonitu nonnulli pisces delectantur. §. 1. De significato **כַּלְכַּל** quædam. Famosior est cymbalum. **כַּלְכַּל** Deut. XXVIII. locusta, a tinnendo juxta Raschium dicta. **כַּלְכַּל** Rabbinis turtur, a cymbalo facto nomine. §. 2. cymbala in Phrygia Dindum, in Syria Zinzum forte a **כַּלְכַּל**. Scriptoribus Talmudicis **כַּלְכַּל** cymbalum. §. 3. Musica delectantur etiam bruta, ac pisces. Wolfg. Franzii & Macrobiani testimonia. §. 4. Delphin **Φιλομασος**. §. 5. Pisces quomodo ad auguria fuerint allecti? §. 6. Pisces voce hominum allecti. Juxta Martialem, Lucianum, Ciceronem &c. §. 7. recentiorum de piscium **Φιλομασια** testimonia. §. 8. Deus negat in loco Jobi, Leviathanem hoc vel simili modo allici posse. Bruta quædam tintinnabuli sonum averfantia. Pisces tinnitu instrumentorum Musicorum terrefacti. §. 9. Caput implere cymbalo quo sensu dicatur in loco Jobi 9. 10.

DEprædicat in hoc capite Deus O. M. divinam suam omnipotentiam ejusque quasi egregia specimina in medium producit Behemoth & Leviathan, quorum ille animal aliquod quadrupes, hic vero grandis stupendusque piscis, quicunque tandem sit. Jobo Deus contra infirmitatem ejus ob oculos sistit, recensendo varia, præprimis autem inquirendo:

התמלא בשמות עורו ובצלצל דנים ראשו:

quæ verba Sam. Bochartus in Hierozoic. P. II. L. V. C. XVI. f. 773. edit. Francof. sic reddidit: *An implebis pellem ejus missilibus, & caput ejus telis piscatoriis?* Summus Vir ibi simul merito castigat Syrum Græcosque Interpretes, neque aliis interpretibus Jobi mentem satis hic fuisse perspectam, innuit. Nescio vero, an is ipse acu rem tetigerit, צלצל per telum piscatorium transferendo; hanc enim ejus vocis notionem exinde saltim probat, quod צלצל pro telo geminatis radicalibus alludat ad Arabicum 'צלת' quod sagittas explicent Giggeus & Golius. Tutio rem me viam ingressurum arbitror, si famoso, & de quo nemo dubitat, צלצל significatu retento, Deum præter alia quærere dixerim: num possit Job caput Leviathanis implere cymbalo piscium (i. e. cujus sonitu nonnulli pisces impense

pense delectari soleant,) ut hoc eum alliciat atque sic irretiat?

§. 2. Non alienum ab hoc loco erit, de notione τῶν ἑξῆς paulo plenius dicere, cum in ista exponenda mirum quantum discrepent interpretes. Comparet equidem plus simplici vice in Fœderis Antiqui Volumine, sed in singulis fere locis alium apud Commentatores varios induit significatum, nunc fiscellæ piscatoriæ, aut teli, alibi cymbali, tandem & umbræ notionem sortita. Equidem ejus πολυσημίαν non prorsus negabo: at prudentis & circumspecti interpretis esse judico, ut semper eum significatum, qui famosior & quasi primarius est, eligat, nisi forte circumstantiæ textus aperte aliud suaserint. Secus enim facienti compluries accidere mihi persuasum est, ut locis Scripturæ alienum inferat sensum, & a mente Spiritus divini aberret. Ego, quod bona cum venia aliorum dixerim. ubique fere cymbali significatum τῶν ἑξῆς convenire puto, quæ licet non unica & constans, ut nonnullis visum fuit, at famosior ejus est notio, Nam Deut. XXVII. 42. quidem alio sensu venit, sed aliis etiam notatur punctis, adeoque non est eadem vox, quamvis R. Sal. Jarchi locustam clamosam ibi innui autumet, quæ a strepera voce sic quasi tinniens dicta sit. Quum vero ἑξῆς etiam sit obumbrare, Bocharto verisimilius videtur, hinc locustas sic appellari: quia

quia scilicet solem obumbrant. vid. Hieroz. P. II. L. IV. C. I. f. 446. add. C. IV. f. 479. Turturem autem ab Hebræis **לצל** nominari, tanquam a cymbalo factò nomine, quia vocem habet tinnulam & obstreperam, idem Vir laudatissimus censet l. c. L. I. C. IX. f. 55.

§. 3. Nostrum, de quo diximus, **לצל** in locis 2. Sam. VI. 5. Ps. CL. 5. citra controversiam significatione cymbali gaudet, & Chaldaicum **לצל** eodem sensu venit: quin & loco vexatissimo Jes. XVIII. 1. hæc notio congruere mihi videtur, de quo alio tempore plenius differere in hac Bibliotheca constitui. Bochartus in Epistola de quæstione, num Æneas unquam fuerit in Italia? p. 15. auguratur, cymbala in Phrygia esse nominata Dindum, ut in Syria Zinzum, quæ voces non adeo multum ab Hebraica **לצל** abeunt: siquidem notum est, **צ** haud raro cum **ל** permutari, cujus exempla suggerit idem Bochartus in Geograph. S. p. 145. 572. 850. edit. Franc. Sicut & mutationem **צ** in **ל** Syris ac Arabibus usitatam esse pronunciat Joh. Lightfootus in Horis Hebr. & Talm. in IV. Evang. p. 555. edit. Lips. ubi **לצל** a **לצל** deducendum arbitratur: quanquam de his cum nullo decertare animus sit. Scriptoribus Talmudicis **לצל** est æreum instrumentum & maximi quidem soni, de quo locum notabilem ex Gemara Hierosol. adduxit H. Relan-

Relandus Dissert. V. de Nummis Samarit. p. 215. sqq. Referunt nempe Judæi inter quotidiana Levitarum instrumenta musica, quæ sunt נבליים כנורות וצלצלים, nablia, cytharæ & cymbalum, maximum sonum reddidisse צלצל, adeoque etiam unum modo fuisse. Et præfectus instrumentis musicis Levitarum ab hoc solo nomen gerebat ממונה על הצלצל præfectus cymbalo. Alia loca hunc significatum probantia ex priscis Hebræorum scriptis notavit Buxtorfius in Lexico Talmud. conferri quoque potest F. A. LAMPE Vir celeberrimus, de cymbalis veterum in addendis ad p. 238. Atque sic nihil videtur causæ esse, quo minus & hic eam notionem utpote famosiorē & primariam, retinere liceat, cum hac ratione sensus haud incommodus ex loco nostro elici queat, quod nunc pluribus evincendum nobis erit.

§. 4. Musicam ipsa quoque animantia bruta sonora concentus sui varietate non raro demulcere, haud nostro demum tempore naturæ scrutatoribus innotuit, sed & olim eruditum fuit: quod testimoniis quibusdam manifestum fiet. De cervis hoc confirmat Clemens Alex. Paedag. L.II.C.IV. f. 164. τὰς μὲν ἐλάφους ταῖς σφραῖξι κηλείσθαι παρειλήφασμεν, καὶ ἐπὶ ταῖς ποδάγρας, πρὸς τῶν κυνηγῶν θηρευομένῃσθαι τῷ μέλει. i. e. *Cervas fistulis demulceri accipimus* & in laqueos inter venandum cantu duci a vexationibus. Julii Solini Polyhist. C. XXVI. f. 156.

£ 156. edit. Vienn. 1520. ubi nonnulla de mi-
 ra musicæ vi annotavit Joh. Camers. Plura
 de his lubens prætereo, cum nunc de pisci-
 bus saltim quæstio sit: de quibus quædam af-
 ferre animus est, loci Jobæi illustrandi gratia.
 De Aliosa, quæ Clupea etiam vel Trissa au-
 dit, Ælianum & alios memorare testis est
 Wolf. Franzius in Hist. S. animal. P. III. C.
 IV. quod campanis parvis, cantu & strepitu
 testarum advocetur & capiatur juxta lacum
 Mareotin. Piscatores enim in casulis suis sal-
 tare adhibitis instrumentis musicis: hunc
 modum saltantium æmulando Alosam per im-
 prudentiam incidere in expansa retia. Hinc
 non abs re Macrobius in Somnium Scipion.
 L. II. C. III. *Ecquid mirum, si inter homines musi-
 cæ tanta dominatio est? cum aves quoque, ut lusciniæ
 & cygni aliæve id genus, cantum veluti quadam
 disciplina artis exerceant, nonnulla vero vel aves
 vel terrene seu aquatiles belluæ, invitante cantu,
 in retia sponte decurrant, & pastoralis fistula (aa)
 postum progressis quietem imperet gregibus?*

§. 5. De Delphine produnt historiæ natu-
 ralis scriptores, eum valde delectari musica.
 Atque hinc citra dubium orta est fabula de
 Arione, insigni cytharædo, qui a Delphine
 per tumidos fluctus maris in regionem Tæna-
 rum

Class. IV. Fasc. III.

O o

rum

(aa) Aristides Or. XVI. in laudem Smyrnae, hanc ur-
 bem quoque commendat, ex piscium, quibus
 abundat copia, quos mansuetos factos ad tibiam sal-
 tare doceant. T. d. H.

rum vectus esse traditur, mulcente aures musica, & navigium sublevante. Visum est enim, ut Petrarchæ verbis utar, fabulam non admitti, nisi color mendacio quæreretur: gubernaculum, malus, vela, remi deerant, pro his omnibus unius Musicæ suavitas subrogata est. Eam ex Herodoto repetiit A. Gellius N. A. L. XVI. C. 19. Extat in illam rem elegans epigramma Bianoris L. I. Antholog. Græc. Cap. XL.

Φῶρες ὄτ' εἰνάλιοι τυρσηνίδ' ἀγγόθι δίνης
 Φορμικτῶν ἀκάτῃ θῆκαν ὑπερβύθιον.
 Ἄντικα μιν κισθίρη λιγνηχεῖ δέξατο δελφῖν
 Σύνθρονον ἐκ δὲ βυθῆ νήχεθ' ἐλισσόμεν.
 Μέγας ἐπ' Ἰσθμὸν ἔκελε Κορίνθιον ἦρε θάλασσαν
 Ἰχθῦς ἀνθρώπων εἶχε δικαιοτέρης.

interprete Paulo Stephano:

Non longe audaces Tyrreno a gurgite nauta
 Per vos in mediis mersus Arion aquis.
 Excipit argutam citharamque & Ariona delphin:
 Volvitur æquoreis inde natator aquis:
 Unde Corinthiacum sospes devenit ad Isthmum.
 Plus quam homines justo pisce natantur aquæ.

De hoc pisce Plutarchus in de solertia animalium, f. 984. Tom. II. Opp. Verisimile quidem est, Deum probare studium musices in delphine: cui etiam Pindarus se comparans, incitari se, ait, delphinis

phinis in morem, τὸν μὲν ἀκύμονος ἔκ πόντου πελάγει αὐλῶν ἐκίνησεν ἐρελὸν μέλος, quem placido e mari suavis exsolvit tibi sonus. Ne autem existimes, Delphinis φιλομουσίου solis niti poetarum figmentis, provoco ad nobile par naturæ curiosorum, Plinium & Casp. Schottum. Ille in Hist. nat. L. IX. C. VIII. asseverat, Delphinem non tantum esse hominis amicum animal, verum & musica arte mulceri symphoniae cantu, & præcipue hydraulici sono. Ubi tandem nonnullis interjectis: *Quæ faciunt, ait, ut credatur, Arionem quoque cytharædiciæ artis interficere nautis in mari parantibus ad intercipiendos ejus questus eblanditum, ut prius caneret cythara, congregatis cantu delphinis cum se jecisset in mare, exceptum ab uno Tenarum in littus pervectum.* (a) Schottus vero in erudito de Magia tractatu propria experientia confirmat, Delphines illas naves, in quibus concentus instituitur musicus, adnatando comitari solere. Quod & sibi in mari Adriatico naviganti, obtigisse commemorat Jac. Locher Philomusus in epistola ad Wolfg. de Tanberg, Fulgentii Mytho-

O o 2 lo-

(a) Adde eandem L. XI. c. 50. ubi scribit. *Delphinum audire manifestum est, nam & cantu mulcentur, & capiuntur attoniti sono.* Præcipue Delphines esse φιλωδῶς καὶ φιλαυλῶς delectari cantu & tibiis ex illa Arionis historia probat Aelianus hist. Anim. L. XII. c. 45. ubi & hymnum producit, ab Arione consecratum Neptuno, in quo Δελφίνες vocantur φιλομουσοί, i. e. Musicæ amantes. T. d. H.

logiis, August. Vindelic. 1521. in fol. editis,
præmissa.

§. 6 Sed & alii adhuc pisces hujusce fere sunt
indolis: Apud Varronem de Re Rust. L: III.
C. ult. hæc verba invenies. *Sic hi loculatas ha-
bent piscinas, ubi dispares disclusos habeant pisces,
quos proinde ut sacri sint ac sanctiores, quam illi in
Lydia, quos sacrificanti tibi Varre ad tibicinem
Græcum gregatim venisse dicebas ad extremum littus
atque aram, quod eos capere auderet nemo.* Casp.
Peucerus in Commentar. de præcipuis divi-
nationum gener. ubi de *ἰχθυομαρτεία* p. m.
206. agit, hæc refert: *Non procul a Fossa Dina
ad Myras (b) Lyciæ in fonte Apollinis, quem Curium
appellant, pisces ter fistula evocati conveniebant,
qui si diripiebant objectas escas, letum erat consul-
tantibus, si caudis abigebant, dirum.* Hierapoli
Lyciæ in lacu Veneris pisces edituorum parebant vo-
cibus, prodibant, ac veluti sese sistebant vocati, ex-
ornabantur auro, scalpebantur adulantium manibus,
& in ora hiantia admittebant insertas manus:
quod ex Plinii Hist. Nat. L. XXXII. C. II.
eum hausisse postmodum vidi.

§. 7. Nec Musica duntaxat, sed & ipsa ho-
minum voce allectos fuisse pisces quosdam,
posterius exemplum, Peucero memoratum,
comprobat: cui nunc alia etiam jungere li-
ceat. Mirare mecum, benevole Lector, pi-
sces, qui Domitiano Imperatori in deliciis
erant,

(b) Haec hausta sunt ex Ael. Hist. Anim. L. VIII. c. 5.
& L. XII. c. 1. T. d. H.

erant, de quibus Martialis L. IV. Epigr. 23. ad
Piscatorem :

*Bajano procul a lacu monemus,
Piscator fuge, ne nocens recedas.
Sacris piscibus hæ natantur undæ,
Qui norunt dominum, manumque lambunt
Illam, qua nihil est in orbe majus.
Quid quod nomen habent, & ad magistri.
Vocem quisque sui venit citatus. (c)*

cf. hic Matth. Raderi Comment. ad h. l. f.
283. qui cum varia in eam rem, præprimis

O o 3 notatu

(c) Idem Mart. L. X. ep. 30.

*Piscina Rhombum pascit, & lupas vernas:
Natat ad Magistrum delicata Muraena,
Nomenclator Mugilem citat natum,
Et adesse jussi prodeunt senes Mulli.*

Adde memorabilem locum Plinii, ex L. X. c. 70.
*Pisces quidem auditus nec membra habent, nec forami-
na. audire tamen eos palam est, ut patet cum plausu
congregari feros ad cibum assuetudine in quibusdam vi-
variis spectetur, & in piscinis Caesaris genera piscium
ad nomen venire, quosdamque singulos. Ita Aelianus
narrat Hist. Anim. L. XII. c. 1. in Apollinis templo
apud Myrenses in Lycia magna cura ali pisces, inter
alia de iis scribit. Γνωρίζουσι δὲ καὶ τὴν τῆς ἱερέως
Φωνὴν οἱ ἰχθύες, καὶ ἐπακκουσάντες μὲν εὐφραίνουσι
ἑαυτοὺς δι' οὗς κακλήναι. Pisces cognoscunt Sacerdo-
tis vocem, & cum accesserunt, exhilarant illos, per
quos appellati sunt. Idem L. XII. c. 30. varia loca
nominat, in quibus pisces mansuefacti, καὶ υπακου-
οντες τῆς κλησῆς, alantur. Idem argumentum tra-
ctat,*

notatu dignissimū piscis cujusdam miraculum ex Petro Martyre de Rebus Oceanicis, attulisset, exclamat: *Ite nunc Plinii, Gellii, Aeliani, & de Delphinibus Jasensibus, Bajanis, Tanariis & Corinthiacis porro gloriamini.* Lucianus similiter in de Dea Syra de piscibus: *οὗτοι δὲ καὶ ὀνόματά εἰσιν, καὶ ἔρχονται, δὲ κεκλημένοι, ἢ ἔτι ὀνόματα habent, atque iis vocati adveniunt.* Notandum quoque est, veterum Romanorum luxum eo processisse, ut & pisces summo studio erudiri curaverint, ut adulantium se præberent manibus. Cicero subinde in eos mores invehitur. L. II. ad Atticum Epist. I. scribit: *Nostri autem principes digito se cælum putant attingere, si nulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant.* Idem in Paradoxis: *Reviviscat M. Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa ac domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit præter ipsos, & videat aliquem summis populi beneficiis usum barbatulos mullulos exceptantem de piscina, & pertractantem, & murenarum copia gloriantem.* Sic L. Crassi murena multorum literis celebrata est, quæ vocem domini audiens, adnatabat, escamque sibi porrectam accipiebat: hinc etiam mortem ejus indigni-

erat integro capite 4. libri octavi. Anonymus auctor rerum Asiaticarum memorabilium (Asiatischer denkwürdigkeiten) narrat in regione Indiae Orientalis *Kachimore* in viridario orbis Achiavel piscinam esse, in qua pisces ingentis magnitudinis anulum aureum in naso gestent cum epigraphe, accersitos autem voce cujusdam, concurrere. T. d. H.

gnissime tulit Crassus. Audi enim, quæ Macrobius hac de re narrat Saturnal. Lib. III. C. XV. *Crassus, Vir censorius, cum supra ceteros disertus haberetur, essetque inter clarissimos cives princeps, tamen murænam in piscina domus suæ mortuam, atratus tanquam filiam luxit. Neque id obscurum fuit, quippe collega Domitius in senatu hoc ei quasi deforme crimen objecit: neque id confiteri Crassus erubuit, sed ultro etiam (si diis placet) gloriatus est censor, piam affectuosamque, rem fecisse se jactans.* Nicolaus Leonicus Thomæus de Varia Historia Lib. III. Cap. LXXV. in Eloro Siciliæ fluvio, qui Eloram a se appellatam præterfluit urbem, cicurum genera piscium reperiri scribit, qui, Apollodoro teste, & in-clamati accedere, & e porrigentis manu placidissime cibum capere consueverunt. Miratus igitur sum, Franciscum Petrarcham, Virum in veterum literis minime hospitem talia fugisse. Is enim Epist. Famil. Lib. III. Epist. XXIII. posteaquam de variis belluis avibusque blanditia delinitis suaviter disse-ruisset, de piscibus, ait, *nihil tale (quod memine- rim) legi, nisi quod Delphines nescio qua humano generi familiaritate conjunctos ferunt.* Priori- bus jam addere libet fabellam, fere di- xerim anilem, quæ in libro rarissimo Con- formitatum Francisci cum Christo fol. 66. fac. 2. Col. 2. memoratur. Scilicet ibi pisces concioni, ab Antoniohabitæ, capitibus pro- tensis faciles præbuisse aures, eique nutibus,

& quod mireris, clamore applausisse traduntur: ut nimirum scias, non omnes pisces voce destitui. Forte fuerunt ex numero scaphrorum & porcorum fluviatilium, quibus Aristoteles alicubi clamandi facultatem adscribit.

§. 8. Sed ut e diverticulo in viam redeamus, addenda nunc erunt & recentiorum quædam de piscium φιλομυσία testimonia: Rondeletius L. VII. c. 15. sæpe numero se in Arvernix oppido Maringuesio ad littus fluvii obambulantiem, chelyn pulsando, pisces gregatim ad ripam allectasse perhibet. Idem L. IV. de piscibus marinis C. X. scribit: *Non procul ab Ambiano in villa quadam divi Antonii trocta nutritur: quæ vocata ad cibum properat, & de manu capit. Glani & cypri in vivario ædium nobilissimi Viri a Jarnaco, pulsato pariete ad cibum properant: id quod ipse sum expertus.* Audio in quibusdam vivariis Germanix inferioris tinnabuli sonitu pisces ad cibum vocari. (d) In Italia prope Ferraram in Eridano flumine sitam esse insulam Erasmus Francisci in Theatro Curiositat. P. I. p. 204. narrat, in qua olim vivarium extiterit, cujus pisces sic adsueti,

(d) Tale quid de illo, qui in viridario Archiepiscopi Salisburgensis est, ex Ephemeridibus naturæ curiosorum narrat Vir de literis & ecclesia meritissimus Ioh. Cyprianus in Comni. ad Franc. Hist. anim. p. 1967. qui & de his rebus conferri meretur p. 1903.

ti, ut nonnisi signo prius per tintinnabula dato, ad cibum capiendum accesserint. Recordor & ipse, me aliquando cum Altorfii literis operam navarem, ex ore Theologi ejus Academiae celeberrimi accepisse, quod B. Kortholtus Kilonii ei retulerit, in insulae, quae vulgo Terrae Sanctae (Heiligenland) nomen obtinet, aliquo sacello asservari campanulam, de qua incolae tradant, haleces, quotiescunq; ea pulsata fuerit, capita ex lacu protendisse, atque hac ratione tam celebrem arengarum capturam primo fuisse inventam.

§. 9. Jam ad locum Jobi citatum revertar. Videtur inibi Deus negare, Leviathanen hoc vel simili modo allici irretiri que posse. Sunt enim nonnulla tam terrestria quam aquatilia animantia, quae tintinnabuli aliusve instrumenti sonitum averfantur. De prioribus Strabonis verba notanda sunt L. XVI. f. 736 ubi de Troglodytis ex Artemidoro refert: *ὁδοὶ πορεύσασιν νύκτωρ ἐκ τῶν ἀρρένων θρεμμαίων κώδωνας ἐξάψαντες ὡς ἐξίστασθαι τὰ θηρία τῷ ψόφῳ.* h. e. *Iter noctu peragunt, pecoribus masculis tintinnabula e collo suspendentes, ut ferae sonitu exterreantur.* De posterioribus in promptu est, testimonium Philostrati Senioris, qui in vita Apollonii (e)

O o 5 de

(e) Verba exstant L. III. c. 57. *Το δε φασιν θηρωδη την θαλατταν ειναι πασαν, αγγελαζεσθαι δε εν ενυτη τε κητη, τας δε ναυς, ερυμα τετα, κωδω-*

de balænis narrat, Indos navibus grandia
 appendere in prora ac puppi tintinnabula, ut
 sonitu terrefactas belluas arceant. Quamvis
 enim tot mendaciis scateat is auctor, ut diffi-
 cillimum sit, verum a falso discernere: tamen
 ea relatio aliquam veri speciem habet, liqui-
 dem Arrianus Indic. V, 18. & Strabo L. XV.
 perhibent, classicos Alexandri M. belluas quas-
 dam marinas, quæ multum incommodi ipsis
 excitaverant, tubis exterruisse cf. etiam Cur-
 tium L. X. C. I. v. 12. & Freinsheimii Ob-
 servationes in eum locum. Tinnitu quo-
 rundam instrumentorum Musicorum terreri
 etiam Crocodilum, atque sic in fugam verti,
 sed simul fugiendo in foveam, ejus capturæ
 destinata, delabi, memorat testis *αὐτίπτης*
 Petrus Martyr cujus verba ex Legationis Ba-
 bylonicæ Libro III. p. 448. sq. dabimus.
*Est, inquit, crocodilorum alia a quadrupedibus in
 progressu natura: cum enim e Nilo in terram longius
 proficiscuntur, alia nesciunt regredi via, quam per ea*
 ve.

νοφορειν, κατα πρυμναεν τε και πρωραυ. την δε
 ηχω εκπληττειν τα θηρια, και μη εαν εμπελαζειν
 ταις ναυσι: Quæ verbis reddo Cornelii Kiliani
 Dufflaci in ejus poematibus.

*Navita Erythraeum pavidus qui navigat aequor
 In prorae & puppis summo resonantia pendet
 Tintinnabula, eo sonitu praegrandia cete
 Balænas, & monstra marina a navibus arceat.*
 T. d. H.

vestigia, quæ in arena venientes reliquerunt: propterea cum descendisse crocodilum incolæ præsentiant, celeri cursu cum lignibus & ramorum fascibus accurrunt: in eaque semita fossam profundam effodiunt, ac ramis illam superimpositis arena contegunt, ne rediens crocodilus insidias sentiat: dehinc per vestigia crocodilum quærebant: sic repertum, strepitu & lituorum aeneorumque tinnitu in fugam versum insequuntur. Ita in foveam delabentem aut perimunt, aut laqueis irretitum ad urbem partant. Sufficiant hæc recensita exempla & testimonia: unum duntaxat adhuc addo, nempe apologum Cyri, Persarum regis, quem coram Jonibus recitavit, notante Herodoto L. I. Histor. p. 26. edit. H. Stephani. Scilicet Cyrus ad eorum postulata per hujusmodi similitudinem atque apologum respondit: Tibicen, inquiens, quidam, ubi pisces in mari conspexisset, canere tibia cœpit, ratus nimirum eos ad cantus suavitatem in terram progressuros: at spe sua frustratus, misso in mare verriculo, ingentem piscium vim complexus est traxitque. Et quum palpitantes cerneret in sicco, dixit ad pisces; Temperate nunc mihi queso a saltationibus: quando non libuit vobis me canente saliendo progredi.

§. 10. Sicuti vero in Jobi verbis caput impleri dicitur cymbalo, non eo sensu, ac si quis cymbalo infarciat caput piscis, sed quod sono ejus vel alius instrumenti (Synecdochice enim *hæc* hic positum esse mihi persuadeo) aures & caput illius impleat ac delectet:
ita

ita Cohel. I, 8. Salomo ait : **וַיִּקַּח אֱלֹהִים אֶת-יֹסֵפִים** & πληρωθήσεται ἕως ἀπὸ ἀκροάσεως. Sed hinc fere enasceretur loci Jobæi sensus, isti, quem supra proposuimus, e diametro contrarius, hic videlicet : Num potes caput Leviathanis implere cymbali sono & satiare? Quæstio autem affirmans negationem includit : atque sic ingens potius Leviathanis φιλομουσία his verbis indigaretur. Perinde enim esset, ac si Deus dixisset : **לֹא-בְצַלְצַל אֱלֹהִים אֶת-יֹסֵפִים** nunquam satiabis eum sono cymbali. Quod si nobis de amore Leviathanis erga Musicam certo constaret, ego sane huic expositioni haud refragarer. Interim tamen pro ea, quam antea attuli, noto : implere caput idem forte esse, ac delinire, demulcere, delectare aliquem, prout v. g. in nonnullis Scripturæ locis implere cor & animam alicujus aliqua re est, aliquem delectare, alicui voluptatem creare & sic porro. Ego comma nostrum sic redderem Germanice. **Kannst du ihn (oder seinen Kopff) einnehmen mit dem Ton eines Musicalischen instruments, wor durch sich unterschiedliche Fische sonst herbey locken lassen?** Cæterum lubens fateor, hæc mea ultra conjecturæ sortem non adscendere : & verbis Ciceronis, quibus in fine Oratoris sui utitur, paululum immutatis dissertatiunculam hanc obsigno. Habes meum de loco Jobæo judicium : quod aut sequere, si probaveris : aut tuo stabis, si aliud quoddam est
tuum

tuum : in quo neque pugnabo tecum, neque hoc meum, quod proposui, unquam affirmabo esse verius, quam tuum. Potest enim non solum aliud mihi, ac tibi, sed mihi ipsi aliud alias videri.



VII.

RUARDI ANDALA h. t. Rectoris Magnifici exegetis illustrium locorum ut & duorum typorum S. Scr. Serpentis ænei, & suspensi eodem die sepeliendi. Accedit clavis apocalyptica quatuor propositionibus comprehensa. Franeg. 1720. Tria alphabeta & 15. philyræ præter præfationem.

Argumentum & Oeconomiam hujus libri, Celeberrimus ejus Author, multis jam scriptis meritisque in Ecclesiam Christianam famam præclaram meritis, in præfatione exhibuit, cujus hic compendium faciemus, ut quid inde sanctiorum studiorum cultores utili-

litatis sibi spondere queant, in brevi tabella conspiciatur.

Prima dissertatio agit de loco Ezech. XX. 25. 26. in cujus exegesi COCCEJI, τῶ πινυ, hypothesin, quam facillimam & evidentissimam enset, explicat atque defendit. Præcipue in eo est, ut maximam difficultatem ex vs. 26. a *transitu primogenitorum* petitam, tollat, quod ita existimat fieri, si distinguatur inter העביר להנה & העביר *transire facere* & להנה *transire facere ad Jehovah*. Posterius idem est cum τῶ consecrare, sanctificare, separare ad ministerium sacrum, prius non item. Cum igitur prius tantum de primogenitis dicatur, hinc nihil aliud indigitari ostendit, quam numerationem primogenitorum in deserto factam, cum Levitæ iis substituerentur Num. III. 15. 40. Data autem occasione, quæstionem, an Sacerdotium etiam pertinuerit ad primogenitos, §. 32 - 42. secundum SELDENI mentem, quam etiam COCCEJI fuisse indicat, ita decidit, ut tum solennioribus, statis ac imperativis unius cujusque tribus, gentis, familiæ sacris, tum eis, quæ totius universitatis populi nomine obeunda erant, primogeniti adhiberentur, ita tamen, ut hi soli non sacerdotes essent, sed solum primarii seu eminentiores.

In sequenti dissertatione tractatur oraculum Jacobi Gen. XLIX. 10. in quo defenditur *Judam* hic stricte designare tribum Judæ &

Ⲅⲱⲱ præcise potestatem Regiam. Dein adseritur, unam periodum cum altera connexam non esse dividendam in duas separatas 1. *sceptrum non recedet a Juda, usque dum venerit Schilo*; 2. *Legislator non recedet e medio pedum ejus, usque dum venerit Schilo*; sed has duas periodos conjunctim esse accipiendas, hac ratione, *non recedet sceptrum a Juda & Legislator e medio pedum ejus, usque dum venerit Schilo*; scilicet non ambo simul recessura fuisse, sed sceptro recedente, legislatorem ad ejus adventum esse permansurum: quod Prophetæ parallelæ & implementum definivere. Contra quam thesin Vir quidam doctus aliquas fecerat objectiunculas, quæ in præfatione solvuntur.

Tertium locum occupat exercitatio de typo *serpentis aenei*, in qua vestigia eorum leguntur, qui pro typo ipsius Christi illum habent. Hinc adstruitur Joh. III. 14. 15. solam Christi exaltationem in cruce esse intelligendam, neutiquam vero etiam triumphalem in cælo ad dextram Patris, nec & mysticam in verbo Evangelii, quæ insinuatur Jes. XI. 10. Vindicatur etiam locus Col. II. 15. & ostenditur vocem ἀπεδυσάμεν referri debere ad Deum, non vero dici de Christo; uti quidam ad contextum non attendentes acceperunt: sic & per τὰς ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας Judaicos Principes, quos Deus sub V. T. tanquam vestem induerat, & tanquam socios adhibue-
rat,

rat, sed jam exiit, intelligi debere. Succedit argumentum affine de Typo suspensi eodem die sepeliendi Deut. XXI. 22. 23. ubi confutatur primo paradoxa *Georgii MOEBII* sententia, quod supplicium crucis jam olim ante tempora Christi apud Hebræos in usu fuerit. Maxime in eo versatur Cl. Auctoris diligentia, ut exponat, quo sensu *omnis suspensus*, sive *sons*, sive *in-sons*, *dictus maledictio*. Quam in rem ostendit hoc supplicium fuisse commonitorium de reatu & maledictione, quæ sub V. T. exstabat, & toti generi humano propter peccatum incumbebat, sed per Christi exaltationem in cruce erat tollenda; ut adeo hujus suspensi typici sepulturæ neglectus esset abnegatio fidei de Christo, qui pro suis futurus erat maledictio. Ergo suspensus erat *δειγμα* iræ & maledictionis. Ejus sepultura adumbrabat abolitionem maledictionis. *Justus maledictus* maledictionem abolet. Typica sepultura neglecta erat abnegatio spei & foedatio terræ.

Locus *Jes. XL. 6-8.* ea fini est pertractatus ut obviam iretur mori eorum, qui plures & quidem diversos sensus literales, si modo veri sint, accumulunt. Ita instituunt, qui in hoc dicto per *omnem carnem* non tantum *omnes homines*, & gentes, & infideles intelligunt, qui unus & verus sensus esse dicitur, sed etiam *legem præcepti carnalis*, sive præceptorum in placitis. Qua occasione plures
ejus-

ejusmodi exempla refutantur. Verbi gratia, quando nomen Dei יְיָ a diversissimis etymis deducitur, omnesque eæ significationes Nominis huic tribuuntur: quando in orationis Dominicæ petitione prima per *nomen Dei* non tantum ipse Deus, (a) sed etiam omnia ejus
 Class. IV. Fasc. III. Pp attri-

(a) Quod primam petitionem concernit, non puto a sensu simplici & unico vocis *nomen* divortium institui, quando illa tam late extenditur, ut etiam *attributa* & *opera* Dei comprehendat. Nam attributa Dei sunt ipse Deus. Et præterea *nomen* generatim significat id, per quod res innotescit. Adeoque nomen Dei generalissime sumtum, quod hic non limitatur, includit omnia, per quæ nobis innotescit & a nobis distinguitur, quod non tantum per attributa ejus intrinseca, verum etiam per opera extrinseca fit. Accedit id omne hic per *nomen Dei* esse intelligendum, quod a nobis debet sanctificari, seu glorificari. Id autem non tantum sunt virtutes, sed etiam opera ejus. In tertia quoque petitione nihil videtur obesse, quo minus voluntatem Dei discernentem cum præcipiente jungamus. Ea enim intelligitur voluntas, quæ fieri debet, uti fit a cœlitibus. Facimus autem voluntatem Dei non tantum quando faciendo legem ejus, sed etiam quando patiendo beneplacitum ejus implemus. Quin ipsa patientia & resignatio totalis, quæ Deo fit, Lege ejus præcipitur. Aliter se res habet in quarta petitione. Talis enim interpretatio actu ipso sensum duplicem, literalem & mysticum involvit. Duo vero priora exempla nobis non videntur diversi sensus, sed diversæ ejusdem sensus locupletissimi partes esse. Liceat hoc modeste monere, cum in ipsa hypothesis Clarissimi Auctoris sententiæ utriusque pollicem addam. F. A. L.

attributa atque *opera* intelliguntur: quando in petitione tertia duplex vocis *voluntas* notio componitur, atque ita voluntas Dei *decernens* & *præcipiens*, *occulta* & *manifesta* conjungitur: quando in petitione quarta non tantum de *pane* hujus vitæ, sed etiam *spirituali* cogitatur.

Quatuor alia ex ordine succedunt loca, quibus lux accenditur, Jud. vi. 9. per corpus *Mosis* intelliguntur corpus omnium umbrarum in Lege *Mosis*, vel per *Mosen* institutarum. Matth. V. 20. defenditur, *justitiam* solam *inherentem* esse intelligendam. Matth. XI. 21. contra *scientiæ mediæ* defensores Remonstrantes ita vindicatur, ut doceatur 1. Deum prædixisse conversionem gentium, speciatim Tyri, per prædicationem Evangelii, variis miraculis confirmandam. 2. Deum voluisse, ut cum verbo Evangelii & miraculis conjuncta foret efficax Spiritus S. operatio. Ergo 3. si id tempus venisset & Evangelium ipsis esset prædicatum & virtutes tales inter eos factæ, Deo efficaciter per suum Spiritum cooperante *Tyrii* & *Sidonii* *resipiscentiam* in *saeco* & *cinere* acturi fuissent. Judæi vero, ob vim majorem præjudiciorum & affectuum in iis, quam in gentibus, longe validius prædicationi Evangelii restiterunt, quam gentiles restitissent. Ut illi convincerentur, non sufficiebant illæ demonstrationes & convictiones, quæ his gentibus suffecissent. Quia autem Deus ordinario non operatur, nisi per

ver-

verbum, iis, qui usque adeo se obfirmant contra id verbum, denegat etiam efficacem suam operationem cum verbo conjunctam, eamque justo suo judicio subtrahit. Immiscetur huic Dissertationi digressio de *miraculis*, de quibus ostenditur 1. ea non esse contra naturam rerum extensarum. 2. Nec contra leges naturæ fixas, quæ ex ipsa corporum natura sequuntur. 3. Immo ea ne quidem fieri contra ordinem a Deo institutum convenienter legibus naturæ. Magos vero Ægyptiorum, nec non falsos Prophetas, quædam miracula fecisse, adseritur. Deinde tum de fine miraculorum, tum de notis, quibus vera miracula a falsis distinguuntur agitur. Ultimus, qui illustratur, locus est Zach. III. 9. ubi defenditur, vocem **אֵינִי** non de *fontibus*, (b) sed de *oculis* esse intelligendam, & quidem de oculis septem Ecclesiarum N. T. in lapidem, tanquam objectum suum intentis.

Postremam eruditi operis partem constituit *clavis Apocalyptica*, quæ quatuor propositionibus absolvitur, quarum unaquæque singulis dissertationibus ita demonstratur, ut univèrsa Apocalypsis secundum has proposi-

P p 2 tiones

(b) Conferri possent, quæ de illustri hoc loco præcipue ad confirmandam illam explicationem **אֵינִי** de fontibus, in diatribè de *Lapide fundamentis* cap. IV. §. 11-24. adtulimus. T. d. H.

tiones resolvatur. En illas I. In Apocalypsi describuntur fata orbis & Ecclesiæ futura maxime a tempore adscensionis Christi Domini in cœlum, ejusque sessione ad dextram sui Patris, usque ad consummationem seculorum, sive ab initio N. T. usque ad omnium rerum finem. II. Fata orbis & Ecclesiæ, quæ incipiunt maxime ab adscensione Christi in cœlum & terminabuntur in consummatione seculorum, in Apocalypsi describuntur serie continuata, filo perpetuo & ordine concatenato, tanquam exstitura septem temporis Ecclesiæ N. T. periodis, sed inæqualis durationis. Secundum hanc propositionem septem *Epistolæ*, *Sigilla*, *Tubicinia*, *Phialæ* coordinantur. Ubi istud peculiare Authori nostro, quod etiam Phialas ab initio N. T. ad ultima tempora producat. Nam prima Phiala ei effusa est in Judaismum, secunda in Gentilismum, tertia in Arianismum, quatuor reliquæ in Antichristianismum. Cæterum Periodi septem ita ordinantur, ut prima deurrat ad persecutionem Neronianam A. 65. Altera ad Constantinum M. Tertia ad Bonifacium III. Quarta ad Wiclefium: Quinta ad Pacificationem Passaviensem: Sexta ad Antichristi abolitionem: Septima comprehensura sit vindictam de omnibus hostibus & statum Ecclesiæ ultimæ gloriosum. III. Emblemata, quæ ad describenda fata orbis & Ecclesiæ in Apocalypsi adhibentur, explicanda sunt

sunt ex ipsa Apocalypsi, aliisque Prophetis, prout ipse Spiritus S. ea explicat; vel secundum ipsam eorum naturam & proprietates, habita semper ratione contextus & seriei rerum; nunquam autem ad propriam hypothesein sunt torquenda. IV. Fata Orbis & Ecclesiae non una & continua Prophetia, sed pluribus visis in Apocalypsi revelantur, eorumque series saepius ab initio repetitur, tum totalis in generalibus, tum partialis in particularibus visis, ad ulteriorem praecedentium explicationem, quemadmodum etiam in Prophetiis T. V. fieri solet. In fine promittitur Commentarius in Apocalypsin Belgicus, quo Cl. Author, quicquid in hac Clave deesse videtur, supplere studebit. Ex dictis facile constabit, quid Lector Scripturae praesertim Propheticae studiosus ab hoc egregio labore expectandum habeat. Eandem in toto hoc libro, quae in caeteris Viri Clarissimi scriptis occurrit, dominari facilitatem, eundem concinnum ordinem, vix opus est, ut moneamus. F. A. L.

EPISTOLA (a)

Johannis BUXTORFII, P.
ad Matthiam MARTINIUM.

ARGUMENTUM.

Epitome Grammaticae Ebraicae Buxtorfii. In eam notas scripsit Martinus. Uterque parat Syntaxin Ebraicam. Qua ratione Synagogam suam conscripserit Buxtorfius. Parat ille librum de causis odii & calumniis Judaeorum in Christianos. Horribile illorum secretum panditur contra Christum ex Ps. LXXX: 14. De subsidiis ad linguam Arabicam. Locus 2 Chron. XII: 7.

Literæ tuæ, clariss. Domine, amice honorande, per studiosum Bremensem mihi redditæ, gratissimæ fuerunt. Respondissem ad eas citius, si certior occasio oblata fuisset. Quod Epitomen Grammaticæ hebrææ tibi placere scri-

(a) Hanc Epistolam, quam ex ipso autographo descripsi, debes, B. L. Viro clarissimo J. Mensoni ISINGIO, Historiæ & eloquentiæ in Academia Groningensi Professori eximio. Is enim, cum incomparabilem thesaurum monumentorum & epistolarum maximam partem ἀρχαίων, Virorum magnorum,

scribis libenter audio. Quum edere statuerem, non huc usque respexi. Saltem tyronibus summa vestigia, per quæ graderentur, ostendere volui. Ubi secundò recudetur, pauculis, sed necessariis ac utilibus, præceptis & observationibus augebo, ut mediocrem usum quibuslibet Scholis præbere possit. De pleniore Grammatica & Syntaxi cogito, quam quidem majori ex parte absolvi, sed emittere in publicum nondum satis confirmatus sum. Varia enim nunc sunt hominum iudicia. Hoc subit, quisquis in publicum prodit. His tamen non faciliè absterrebor, modo juventuti prodesse possim. Vidi apud Bremensem hunc paginas pauculas tuorum Commentariorum in Epitomen meam. Dolui autem quod integra non haberet. Non possum non

Pp 4

com-

gnorant, cui renatae literae & instaurata religio plurimum debent, qui ad eam ex haereditate *Altingiorum* pervenit, possideat, noluit illi, qui multorum perversus mos est, instar illius Draconis Herculei incubare, sed eam mihi, aut potius publico bono, sponte obtulit, eo fine, ut quae ex iis luce digna judicaverò, depromam, tecumque communicem. Transmisit itaque mihi ipsa Lutheri, Zvinglii, Melanchthonis, Erasmi, similiumque heroum *ἀπορυεφαι*, quæ, ubi certus factus fuero, nondum publici juris facta esse, paulatim in hac Bibliothecâ leges. Tu agnosces mecum, ut par est, mirificam hanc Viri humanitatem, &, si quid inde ad te redundabit utilitatis, id omne acceptum feres ISINGIO. T. d. H.

commendare industriam tuam in multis & utilibus rebus coacervandis, quarum cognitio jucundissima & utilissima est. In quibusdam tamen animadversionibus a te dissentio, de quibus aliâs conferam, si tibi placebit. Interea hinc dissensio erit & est citra periculum animarum nostrarum. Imo etiam citra periculum amicitiae. Ubi tamen meliora edoctus fuero, libenter cedam ut certè quasdam notas libenter amplector. Notas in caput vel doctrinam de Accentibus videre desidero. Mihi ex omnibus Grammaticis vix ullus satisfactit. Animadverto enim eos omisisse, quæ omitti nullo modo debebant. Quæ ego notavi & observavi, videbis aliâs. Sic & Syntaxeos delineationem tuam, de qua in commentariorum tuorum initio spem facis, avidè videre desidero. Hic, eheu quam multa apud Grammaticos desiderantur. Conatus sum ego viam dirigere in planum, & hebraismos sive Idiotismos hujus linguæ præceptorum luce & ordine ita explicare, ut linguæ elegantia & gravitas hinc demum emicare incipiat, quæ antea solis Etymologiæ præceptis obscurata fuit. Gratissimum mihi proinde esset, tuas quoque eruditas notas de omnibus his rebus cognoscere. Minimè enim dubito, quin de multis utilibus rebus me admonituræ sint, quæ ad Præceptorum meorum pleniorum conformationem forent necessariae. Si candidè communicaveris, habebis

bis me quoque candidum tuæ industriæ prædicatorem, & obstringes me ad majora. Quæris præterea, quomodo Fabulas illas judaicas congefferim. Respondeo ipsos Judæos mihi suggestisse. Primò & principaliter oblato libro Rituum, (b) cui מנהגים nomen. Et qui hebræo germanicè editus est. Eum si cupis tibi dono mittam. Deinde intellexi totum illorum jus, civile & canonicum & quæ præterea habeat, רינים quasi Aphorismis comprehensum in libro, cui שלחן ערוך nomen. Hunc etiam opera Judæorum accepi. Postea Talmud ipsum & eos, quos præterea cito, affecus sum, in hos animi gratia excurri, & quicquid reperi, ad Minhagim retuli. Hinc enatus iste labor. Sed alium librum eadem opera ante sex annos conceptum ac prope absolutum, adhuc supprimo. Is continebit Caussas odii Judæorum in omnes gentes ac mundi populos, omnium autem maxime in Christianos: initium, progressum, continuationem, blasphemias duras, convitia in Christum, Christianorum Magistratum, Christianos omnes, imprecationes & illis similia, non quidem illa ex scriptis baptizatorum Judæorum (quibus non semper fides habenda, sed ex ipsissimis libris circumcisorum Judæorum, quantum quidem mihi videre

Pp 5 con-

(b) Auctor est R. Isaac Tirna, qui circa finem sæculi XV. vixit.

contigit. Spem hujus facio in aliquo loco Scholæ Judaicæ. Placet habere exemplum? Dabo, sed secretum esse cupio. Vidisti aut videre potes Psal. 80. in *מָהֵר מְהֵר* literam *ע* suspensam supra vocem. Quæritur quare? Quidam Judæorum mysterium explicant, ut possunt. Ego legi in libro Cad hakkæmach, cujus R. Bechai author rationem diram. *Litera Ajin*, scribit, (c) *suspensa est: ut sint sic omnes credentes in Suspensum illum, sc. Christum.* Vis plura? Quis porcus ille de sylva? Respondent, Christum esse, qui vineam Israelis suffodit. Quorsum ergo typographi nostri hanc scribendi rationem imitantur. *פָּרַשׁ עַל פְּנֵיהֶם*, si studio facerent. Hoc unum ex secretis, quod paucis notum esse puto. Sed aliàs de his plura. Quæris quæ subsidia sint ad Arabicam & alias orientales linguas discendas. Ego certè id ignoro: pauca enim vidi. Neque etiam valde sollicitus fui, eum omnibus illis discendis mea vita sufficiens non sit. Arabicam magnifacio, cujus usus ad linguam Chaldaicam & Syriacam magnus. Scribis te Postelli *δωδεκαγλωττον* frustra quærere. Apud me invenies si quæsieris. Glossas Latinoarabicas Scaligeri, aut saltem

(c) Verba Apellæ in Ps. LXXX: 14. citato libro fol. 19. col. 4. hæc sunt; *הַצֵּן תְּלוּיָהּ בִּי הֵם עֹבְרֵי* *Litera Ajin suspensa est quia illi (Christiani) colunt suspensum.* T. d. H.

tem quarum ipse meminit , non vidi : sed nunc occasio est ipsum Scaligerum hac de re compellandi. Scripsit enim ad me ante mensem Josephus Scaliger literas humanitate plenissimas , cui his nundinis respondebo. Sed nunc finem scribendi faciam , petens ut prolixitatem hanc lance justitiæ ponderes, ut loquuntur Hebræi. Dominum Piscatorem, Pinzium, præceptores meos amantissimos saluto, Tu , si placet , interpretes esto. Vale vir clarissime , & me mutuam amato. Raptim
 Basileæ 4. Sept. Anno 1606.

הַצֵּעִיר יְהִקְטֹן אֶהוּבָךְ דּוֹרֵשׁ בְּשִׁלּוּמָךְ

Johannes Buxtorfius.

Ex D. Piscatore, post amicam salutem
 quero, de loco 2. Chron. 13. 7. Dicitur
 Rehabeam war jung: an melius?
 ein Kind vel kindisch/ quo sensu sequi-
 tur, eines blöden Herzen. Non am-
 plius erat jung/ qui 41. annorum fuit
 cum regnare inciperet, ut est cap. præ-
 cedenti. שלמא תנינא בלא מנינא.

Inscriptio haec erat;

Viro Clarissimo D. Matthiae Marti-
 nio, inclytæ scholæ Herbornensis
 Professori, amico honorando Herbor-
 nam.